

PA 4494

.D8 Z8

Copy 1

Hermann Zirbs



DE
XENOPHONTIS LIBELLO
QUI ΠΟΡΟΙ INSCRIBITUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN
ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILIELMA

AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. X. M. IULI MDCCCLXXIV.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS ZURBORG


SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

L. H. FISCHER, STUD. PHIL.

C. MICHAELIS, STUD. PHIL.

C. ROTHE, STUD. PHIL.



BEROLINI

APUD W. WEBERUM.

[1874]

PA 4494
1828

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DISSERTATION

IN THE FIELD OF

PHILOSOPHY

BY

ALAN BRADY

PH.D. 1988

DEPARTMENT OF PHILosophy

CHICAGO, ILLINOIS

1988

1988

UNIVERSITY MICROFILMS

4494

98-229301

ADOLPHO KIR'CHHOFFIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

ADOLPHO RINCHIO D'ALTO

LEBBECCO L'ESPRESSO

Ex antiquitatis graecae latinaeque monumentis cum nec plurima nec optimum quodque nostrae aetati doleamus asservata esse, vel id interdum nescio an fato quodam invido acciderit, ut in illorum quoque numero, quae tradita accepimus, falsa pro veris, prava pro bonis venditentur. Saepe enim quae per tot saecula ut praeclarissimorum scriptorum opera omnium in se admirationem converterunt, postmodo virorum doctorum sollertia fraudis quasi convicta sunt, ita ut scriptorum vere antiquorum in annos non augeatur sed decrescat numerus. Itaque in unoquoque libro antiquitus asservato accurate videndum est, num recte illi, cuius in fronte nomen habet, scriptori assignetur. Qua quidem in re non minus patet esse cavendum, ne temeritate quam ne credulitate nimia peccemus. Atque ut propius ad id quod propositum est accedamus, de nullius, opinor, scriptoris libris plus est disceptatum quam de Xenophonteis; quo in numero vix unus extat, qui non aut totus aut ex parte ab hominibus criticis suspectatus sit: Anabasis enim teste Suida iam ab antiquis grammaticis, hist. graeca a Grossero, Cyropaediae epilogus a Valckenario, ab eodem Agesilaus, Lacedaemoniorum respublica a Demetrio Magnete, Atheniensium respublica a plerisque viris doctis, de rebus libellus ab Onckenio, Bergkio, Hagenio, Dindorfio, alia ab aliis in dubitationem vocata sunt, ita tamen ut omnium fere consensu unus qui est de Atheniensium republica liber suppositicius iudicetur, de ceteris plerisque nondum absoluta quaestio videatur. Quam ob rem cum multae inde quaestiones nascantur, si quid ad unam profligandam conferre possimus haud perditam hanc qualemcunque

opellam rati, quid de libelli *πρόροι* inscripti et auctore et aetate statuendum videatur paucis explorabimus*).

Tres autem potissimum commentatiunculae quasi sponte se obferunt partes: ad reperiendum enim huius libelli auctorem primum de tempore, quo conscriptus videatur, deinde de sermone argumentandique ratione, postremo de eorum natura dicendum erit, quae auctor hoc libello Atheniensium populo commendare ac persuadere volt.

Cap. I.

In quavis de rebus publicis commentatione, etiamsi non tam ad ipsam rerum gestarum memoriam quam ad institutorum civilium rationem spectet, fieri non potest quin etiam externarum rerum auctor interdum mentionem faciat. Aeto enim vinculo haec duo reipublicae administrandae genera inter se connexa sunt. Quam ob rem tum quoque, quonam tempore eiusmodi aliqua commentatio conscripta sit, plerumque aut certe designare aut probabili saltem coniectura assequi licet, ubi disertis verbis de ipso illo tempore nihil memoriae traditum est. Neque vero minus est consentaneum, quo magis ista temporis vestigia delitescant et quasi obscuritatis umbra quadam adoperta sint, eo longius discrepare variarique eorum sententias, qui hoc tempus dignoscere in animum induxerint. Atque in huius, de quo agitur, libelli aetate statuenda duae potissimum sententiae extiterunt: alteram qui sequuntur haud multo post pugnam Mantineensem scriptum esse putant; hoc in numero Zeunius, Delbrückius, Bakius, Deventerus nominandi sunt; alteram qui profitentur, ut Boeckhius, Schneiderus (qui tamen parum sibi constituisse videtur), Kruegerus, Schaeferus, Bergkius alii, statim composito bello sociali confectum esse statuunt.

*) Ne forte quis miretur, quod, cum nuper de eadem re alia quaedam dissertatio prodierit Th. Gleiningeri, tamen ego quoque hanc meam de hoc libello opinionem publici juris facere non dubitaverim, hoc praemoneo, utrumque nostrum hanc quaestionem ante hos XVIII menses ab amplissimo qui est in univers. Berol. philosophorum ordine propositam tractavisse, et ita quidem, ut, cum ne sciret quidem alter de alterius studiis quicquam, ad eandem fere sententiam, diversa tamen saepe via ingressus, uterque pervenerit.

Praeter hos Weiskii, qui Ol. 89, 3 scriptum esse censet, sententia cum ab aliis tum a Bakio (nov. act. litt. societ. Rh-Trai. 1831 p. 11 sqq.) satis iam refutata est; de H. Hagenio autem (Eos II, p. 149 sqq.), qui item illarum sententiarum neutri se addicit, infra peculiariter dicendum erit.

Ac primum quid de priore illa opinione iudicandum sit, duce Bakio, qui acutissimus eius extitit defensor, paucis videamus. Qua de re nonnulla iam et a Büchschützio (in Philol. vol. XXIII, ubi Deventeri, quem eundem calculum sequi diximus, rationes examinat) et ab Hagenio (l. c. p. 150) enotata sunt. — Auctorem scripsisse pacis tempore, vix tamen bello finito, recte Bakius ex his locis eruit: IV, 40: *ἐν τῷ νῦν πολέμῳ* — *πρὸ τῆς εἰρήνης* — *διὰ τὸ εἰρήνην εἶναι*, V, 12: *διὰ μὲν τὸν πόλεμον* — *ἐπεὶ δὲ εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται*, IV, 41: *εἰ πόλεμος ἐγεσθείη*, 43: *πολέμου γιγνομένου*. Illud autem *ἐν τῷ νῦν πολέμῳ* (IV, 40) recte dicit nisi de bello quod proxime praecesserit intellegi non posse. Sed putat hoc bellum esse Thebanum illud, quod Epaminonda occiso Ol. 104, 2 confectum est; quam his caussis confirmare studet sententiam: primum quidem post bellum sociale non locuturum fuisse auctorem putat de principatu Atheniensibus recuperando (ut facit V, 8 . . . : *παραπεπωκέναι μοι δοκεῖ τῇ πόλει ὥστε . . . ἀνακτᾶσθαι τοὺς Ἑλληνας*); nimis enim tunc temporis debilitatas Atheniensium opes fuisse dicit compararique iubet Demosth. d. cor. §. 234. At id quidem certum esse puto, ita solum de recuperando principatu aliquem loqui posse, si is, qui recuperaturus est, antea illo principatu exutus erat. Exutos autem tum, cum scriberetur libellus, Athenienses imperio fuisse luce clarius ostendit noster et V, 8 illo *ἀνακτᾶσθαι* et V, 5, ubi legitur *οἱ δὲ ἡγεμονίαν βουλόμενοί τινες ἀναλαβεῖν τῇ πόλει*. Constat igitur ex his §§ iisque quae sequuntur Athenienses, cum principatum olim deperditum (V, 6) obferentibus sociis, Thebanis Lacedaemoniisque adnuentibus (V, 7; cf. Isocr. VI, 109) recuperassent, libelli nostri aetate rursus imperio privatos esse. Qua autem re privatos esse putamus nisi ipso de quo agimus bello sociali? (cf. Demosth. III, 28 *οὗς δ' ἐν τῷ πολέμῳ* — scil. in bello Thebano, vid. Schaefer, Philol. V, p. 3 — *συμμάχους ἐκτησάμεθα*,

εἰρήνης οὔσης ἀπολωλέκασιν οὔτοι, i. e. pace cum Thebanis facta). Cur autem statim post hoc bellum de recuperando imperio cogitare non potuerit auctor, equidem non video. Diserte enim se non suadere dicit, ut bello gerendo, sed ut beneficiis pacisque artibus Graecos, maxime insulanos, sibi concilient Athenienses. Hoc autem faciendi optimam ait occasionem contineri ea quae tum esset rerum perturbatione (*ταραχή* V, 8), id quod non sic intellegendum est, quasi ad debellandos ceteros hac turba populum abuti velit, sed in hac turba facultatem fieri Atheniensibus §§. 8 et 9 exponit urbium graecarum altercationes atque discordias civiles componendi beneficiisque cuiusvis generis omnes adstringendi. Nec illud probo, quod Bakius illo *ταραχὴν* deceptus ad pugnae Mantineensis tempus hunc libellum referendum putat, comparata videlicet Xenophontis hist. graecae § extrema. Neque enim constat, inquit, bellum demum sociale turbarum in Graecia caussam extitisse. Quod quidem neque ego infitior nec dicit omnino auctor noster: sed id quoque puto non minus constare, etiam ultra belli socialis tempora has turbas vel maxime viguisse. (cf. Demosth. d. symm. 36 — quae oratio habita est Ol. 106, 3 — *ταραχῆς καὶ ἀπιστίας.*) — Altero loco Bakius ad stabiliendam opinionem suam Ol. 106, 1 dicit res ad bellum spectasse Philippique iam innotuisse consilia; bellum iam exarsisse Amphipolitanum, nec, inquit, etiam quisquam hoc tempore in animum induxisset, spem principatus Graeciae Atheniensibus proponere pace colenda. Certe haud insulse haec sunt disputata habentque probabilitatis speciem quandam. Sed quamquam haud inepte haec se habent, si quis post viginti saecula, peritus eorum quae tunc inpendebant Graeciae periculorum, rerum gestarum seriem atque ordinem contempletur, minime tamen eorum qui tum fuerunt Atheniensium ceterorumque Graecorum sententiis opinionibusque conveniunt. Quotus enim quisque, quaeso, Ol. 106, 1 maius aliquod periculum a Macedonum rege barbaro redundaturum esse divinabat? An credibile est Atheniensium quemquam tum, cum Demosthenes rem publicam, ut ipse testatur (d. cor. 18), nondum adisset, pertimuisse ea, quae ut provideret Atheniensium populus idem orator omnium summus decennio post vixdum efficere

potuit? Iratum certe tum fuisse Philippo ob litem Amphipolitanam consentaneum est; ac tamen ad id quidem temporis Athenienses constat non tam timuisse quam despexisse regulum istum, cuius vel maxime interesse ut socii ipsi essent etiamtum putabant (cf. Dem. in Lept. 63). Ceterum nescio an III, 11 auctor noster de Macedonum rege cogitaverit, ubi reges quosdam dicit tyrannosque Atheniensium gratiam adfectaturos esse; similiter enim Isocrates in orat. de pace Ol. 106, 1, ut videtur, conscriptae §. 23 de Philippo et Cersoblepte *λυσίτελήσει γάρ, inquit, αὐτοῖς θεραπεύουσι τὴν δύναμιν τῆς πόλεως ἀσφαλῶς ἔχειν τὰς αὐτῶν βασιλείας.* — Tertio loco Bakius ex III, 7, ubi de auxiliis Lysistrato duce Arcadibus missis (Ol. 103, 4) et de Hegesilao, Atheniensium exercitus apud Mantineam duce (Ol. 104, 2), agitur, haud diu post pugnam Mantineensem conscriptum esse librum de redivisibus concludit; si enim Ol. demum 106, 1 scripsisset auctor, quidni, inquit, memoravit subsidia Megalopolitanis ao. 362 vel Euboensibus contra Thebanos ao. 358 missa? Quasi vero ea tantum commemorare rerum publicarum scriptoris interesset, quae proxime praecessissent, non quae ipsi ad ea, quae in animo haberet, demonstranda aptissima esse viderentur. An pro Niciae Hipponicive exemplo IV, 14 adlato putamus posterioris temporis documenta scriptorem proferre non potuisse? Nonne peculiaribus quibusdam caussis motus auctor Lysistrati Hegesilaeque mentionem facere potuit? Hegesilaum quidem haud inique sunt qui Eubuli adfinem esse coniecerint illum, qui a Demosthene d. f. leg. 290 memoratur (cf. Schaefer l. c. p. 5 Mus. Rhen. nov. ser. V p. 59), nec est improbable, id quod iam Schneiderus (ad III, 5) aliique (cf. Schaefer, l. c. et Demosth. u. s. zeit I p. 171; Boeckh, oec. publ. Ath. I, p. 778 not) coniecerunt, cum hoc oratore celeberrimo necessitudinem quandam fuisse libelli nostri auctori. Hoc etsi nunc urgere nolumus, id quidem perlucidum est, etiam alias caussas, non temporum solum propinquitatem, subesse potuisse, quibus ductus auctor has duas expeditiones, non alias, hoc loco commemoraret. Quod autem Bakius (p. 25) accuratius latiusque dicit auctorem de bello sociali mentionem facturum fuisse, si paullo post scripsisset, mihi quidem non persuasit. Sunt enim non pauciora quae

ad bellum sociale spectant enotata, quam quae, si ad illud tempus libellum referremus, ad bellum Thebanum pertinere viderentur. Quid autem iuvabat plura de his rebus enarrare? Non erat in consilio auctoris illa accuratius revocare in memoriam Atheniensibus, quae modo gesta esse omnes sciebant, praesertim cum magis essent ad deprimendos quam ad erigendos eorum animos idonea. — Denique non minus improbabiliiter disputata sunt, quae Bakius de verbis *κατὰ θάλατταν εἰρήνην* (V, 12) exponit, quae ad „semina belli socialis iam ao. 364 exorta“ refert, quam quae de Phocensium memoratione V, 9 facta disserit: bellum enim illo anno, etsi propter Thebanorum machinationes tum imminebat, exortum nondum fuisse constat, nedum pax — de qua diserte l. c. agitur — conclusa sit; Thebanos vero in Phocidem iam antea dirutis Plataeis Thespiisque excursiones fecisse notissimum est (Xen. h. gr. VI, 1, 1. Diod. XV, 46, 4); templum autem delphicum tum a Phocensibus occupatum fuisse nec proditum memoriae nec per se est veri simile. — Postremo quae refutetur vix digna est ea Bakii dubitatio, quod, cum IV, 40 *εἰσφοραὶ* in bello modo finito exactae esse dicantur, hanc vocem nisi de bellis terrestribus negat usurpari. Ad exercitum quidem comparandum, non ad instruendam classem *εἰσφορὰς* exigi solitas esse nemo nescit. Sed quando, quaeso, umquam bellum navale gestum est, quo navibus tantum opus esset, non item exercitu pedestri naves ascensuro? Eas autem quae ad talem exercitum exornandum conferebantur pecunias haud secus *εἰσφορὰς* appellatas esse atque quae ad exercitus terrestris usum exigebantur, luculenter Demosthenis loco ostenditur III, 4: *ἐψηφίσασθε τετραρακοσίας τριήρεις καθέλκειν καὶ τοὺς μέγροι πέντε καὶ τετραράκοντα ἐτῶν αὐτοὺς ἐμβαίνειν καὶ τάλαντα ἐξήκοντα εἰσφέρειν*; cf. etiam Isocr. VIII, 12. 20; qua in oratione extrema eiusdem belli navalis spatio circumscripto Isocrates post pacem factam ait Athenienses quieturos esse a tot tantisque tributis: *ἀναπεπαισμένοι . . . τῶν εἰσφορῶν καὶ τῶν τριηραρχιῶν καὶ τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον λειτουργιῶν*.

Patet ex his quae disputavimus alteram nos illam, quae est Boeckhii Schaeferi aliorum unice veram ducere sententiam, scilicet ut scriptum hunc libellum paullo post bellum sociale

esse statuamus. Quod quo melius inlustremus, paucis necesse est singulos locos repetamus, quibus potissimum nisi huic anno libelli conscriptionem vindicandam esse censemus. Qua in re iuvat interdum ex Isocratis de pace oratione (VIII), quae eodem fere tempore conscripta est (cf. Oncken, Isokr. u. Athen, Heidelberg 1862, p. 111 sqq.), pauca ad inlustrandum adferre. Hic enim, etsi in oratione illa alia plerumque spectat atque in libello suo noster, easdem tamen haud raro sententias verbisque interdum paene eisdem exprimit.

Ac primum pacem tum fuisse, bellum modo finitum esse apparet ex locis his: IV, 40. 41. 43. V, 12. Hoc autem bellum maritimum praecipue fuisse colligitur e V, 12: *ἐπεὶ δὲ εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται*. Quam pacem ut non modo ipsi observent, sed aliis quoque commendent Athenienses stabilemque reddant suadetur V, 10: *εἰ δὲ καὶ ὅπως ἀνὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλατταν εἰρήνη ἔσται φανεροὶ εἴητε ἐπιμελούμενοι*. (cf. Isocr. VIII, 16. 136). Deinde huius pacis tempore et principatu et insularum societate populum caruisse docet auctor V, 5 (*ἀνακτᾶσθαι*) et 8 (*ἀναλαβεῖν*). Recuperandum enim esse imperium dicit. Tum suo tempore Atheniensium reditus ait adeo debilitatos esse atque attritos, uti nil iam conferre cives ad rem publicam iuvandam posse nonnulli existiment (IV, 40: *εἰ δ' αὖ διὰ τὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ γεγενημένας εἰσφορὰς νομίζετ' ἂν μηδ' ὅτιοῦν δύνασθαι εἰσενεγκεῖν*, cf. Isocr. VIII, 19). In gerendo enim bello reditus permultos aut defecisse aut inutilem in modum ad varias res profusas et dissipatos esse (V, 12: *καὶ ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ μὲν τὸν πόλεμον καὶ τῶν προσόδων πολλὰς ἐκλιπούσας καὶ τὰς εἰσελθούσας εἰς παντοδαπὰ καταδαπανηθείσας*.) Nec tamen plane esse desperandum ait: nam ex iis pecuniis quamvis exiguis, quae durante bello (*πρὸ τῆς εἰρήνης*) in aerarium publicum redissent, (i. et non ex minoribus) populum anno post bellum primo (*τὸ ἐπιὸν ἔτος*) administrare rem publicam (*διοικεῖτε τὴν πόλιν*; unde ni fallor id quoque conicere licet, annum bello illi proximum tum, cum scriberet, nondum peractum fuisse); proximo vero tempore, quia pax esset*), multo

*) διὰ τὸ εἰρήνην εἶναι: etiam V, 12 post pacem factam ait auctos esse reditus, scilicet quia mercatura navigium cetera, quae non minus quam

plures redituras videri, praesertim si ipsius consilia sancte sequerentur. (IV, 40. cf. V, 12.) Principatum autem, quo exuti sint, intentis omnibus viribus suadet ut recuperent, non tamen bello (temporum enim ante actorum ratione doceri, quanto facilius beneficiis quam bello ceteros Graecos sibi conciliare possint, V, 5—8), sed pacis artibus auctoritatem suam restituentes (V, 8). Huc spectat etiam initium libelli, ubi et vituperat eos qui rerum necessitate coactos sese in socios crudeliores esse soliti sint dicere, et tunc temporis Athenienses suspectos haberi omnibus Graecis ait. (I, 1: *ἐπικεκουρῆσθαι τῶ ὑπόπτους τοῖς Ἑλλήσιν εἶναι*; cf. Isocr. VIII, 19: *καὶ πρὸς τοὺς Ἑλληνας διαβέβληκε* scil. *ὁ συμμαχικὸς πόλεμος ἡμᾶς*.)

Haec quidem omnia ad tempus, quod bellum sociale excepit, optime convenire nemini iam spero obscurum esse; optimeque huic auctoris nostri expositioni subfragatur locus ille Demosthenis a Bakio citatus (d. cor. 234), qui, cum tunc temporis Atheniensium opes valde debilitatas esse dicat, id tamen ostendit, non adeo omnibus tributis tum privatum fuisse populum, ut existimare videtur Bakius: paucae enim quaedam insulae in fide manserant atque quadraginta quidem et quinque talenta in aerarium redundabant. (Consentit fere Isocrates in Areopagiticæ §. 1, quae conscripta est *ἐν ἀρχαῖς τῶν Φιλιππικῶν χρόνων*, hypoth. 7.) Patet igitur principatum tum amissum fuisse, omnibus tamen sociis non caruisse Athenienses, ita ut civis aliqui Atheniensis, qui quidem nec ipse omni spe exutus esset et ceterorum animos ad consilia sua perpetranda erigere studeret, haud absurde de augendis rei publicae opibus vel post illud bellum verba facere posset. Hoc enim tenendum est, libelli nostri auctorem, cum Atheniensium condicionem describeret, non cum accuratione historica singulas res enarrare, sed, sicut ferebat eius consilium, suam opinionem, suas spes, suas rationes lecturis proponere voluisse.

His quae hucusque explicavimus terminum patet inventum esse, post quem hunc libellum conscriptum esse statuamus:

leges inter arma silent, confecto bello reviscere quodammodo solent. Similiter iudicat Isocr. VIII, 20: *καὶ ἑκάστην δὲ τὴν ἡμέραν πρὸς εὐπορίαν ἐπιδώσομεν, ἀναπεπαυμένοι* cet.

nimirum post Ol. 106 annum primum, quo finitum est bellum sociale. Iam ut et aliunde quae invenimus confirmemus et terminum certum quaeramus, ante quem scriptum esse necesse sit, relicum est, ut quid de loco V, 9, ubi Phocensium templique delphici mentio fit, sit iudicandum paucis exponamus. Locus est hic: *εἰ δὲ καὶ ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥσπερ πρόσθεν γένοιτο φανεροὶ εἴητε ἐπιμελούμενοι, μὴ συμπολεμοῦντες ἀλλὰ πρᾶσβεύοντες ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα, ἐγὼ μὲν οὐδὲν ἂν οἶμαι θαυμαστὸν εἶναι, εἰ καὶ πάντας τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους [καὶ συμμάχους: del. Cobet.] λάβοιτε ἐπ' ἐκείνους, οἵτινες ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.*

Atque haec quomodo cum libelli nostri aetate conveniant spectantibus totius quaestionis cardinem apparet in statuendo belli Phocensis initio versari. Qua de re ante omnes audiendus Cobetus est, qui in novv. lectt. p. 759 sqq. hunc fere in modum argumentatur. Constat, inquit, inter omnes bellum sacrum plane confectum esse archonte Archia (Ol. 108, 3, a. C. 346/5), paene finitum esse post Phocensium deditionem die 28. mens. Scirrophi. Ol. 108, 2 (vel mense Julio 346) factam. Incepisse autem Diodorus (XVI, 23) dicit a Delphorum occupatione archonte Callistrato Ol. 106, 2 (a. C. 355/4) et durasse annos novem. Idem cap. 14 teste Demophilo templum adfirmat occupatum esse archonte Agathocle Ol. 105, 4 (a. C. 357/6) bellumque durasse annos undecim. In eundem hunc annum Paus. X, 2, 3 initium belli refert, marmore vero Pario (vss. 87. 88. ed. Didot.) vel annus etiam prior statui videtur. Quod autem idem Pausanias (X, 3, 1) anno decimo post, quam conflatum esset, Theophilo archonte bellum confectum esse asseverat, manifestus est error, inde, ut videtur, natus, quod, cum ab oratoribus aliisque summatim decem annorum sacrum bellum fuisse diceretur, Pausanias ab illo anno ordiens annum post Ol. 105, 4 decimum computavit, „famam volgarem secutus, cum ex fide historica duodecimum ponere debuisset“. Verum igitur ac primarium initium fuit archonte Agathocle, duravitque bellum annos undecim, si Phocensium deditionem, duodecim, si Phocidis illam vastationem auctore Philippo factam finem

esse statuas. Itaque occupatum est templum delphicum anno uno ante belli socialis finem: quae tamen occupatio brevis admodum fuit; Phocenses caussa qualicunque moti excesserunt Delphis, quos deinde occupare Thebani conabantur (d. red. V, 9: *οὔτινες ἐκλιπόντων Φωκίων τὸ ἱερόν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.*) Interea magna multa indicta Phocenses summopere exasperati iterum (archonte Callistrato) suasore Philomelo templum occupavere; et haec quidem ea est occupatio, quam cum alii tum oratores spectant, ubi de his rebus loquuntur, atque unde exorsum est ipsum bellum sacrum.

Haec Cobetus, cuius argumentatio magnam habet verisimilitudinem. Ac primum quidem occupatum templum delphicum fuisse archonte Agathocle testibus tam gravibus dubitari vix potest quin credendum sit, quorum vel uni Demophilo satis auctoritatis concedendum est, quem tali in re potius sequamur quam rhetores omnes. (Plane consentit Hagenius l. c. p. 154; Kruegerus ad Clint. fast. hell; dubitat Schaeferus, Dem. I p. 450 sqq.). Quamquam enim non disertis verbis testem adfert Diodorus l. c. hunc scriptorem, id tamen omnibus animo libero legentibus dilucidum esse debere puto, ad illum annum templi delphici occupationem Demophilum retulisse. Haec si recte se habent, ea quoque quae inde Cobetus coniecit magnum assumunt probabilitatem. Etenim cum Diodorus ab Ol. 106, 2 initium cepisse bellum sacrum tradat, unde in hunc errorem inciderit, minime perspicimus, nisi duplici eum templi occupatione deceptum quod ad alteram referre debuerit ad priorem retulisse statuimus. Deinde quod Diodorus mox novem mox undecim annorum fuisse bellum dicit, ex eodem errore unice explicatur; decenniis autem numerus, qui, cum apud oratores (Aesch. II, 131. III, 148) frequens sit, alios quoque scriptores a vero deduxit (Paus. X, 3, 1; ipsum Diod. XVI, 60; Durid. ap. Athen. 560), et eo explicatur, quod oratores non cum fide historica numeros proferre, sed addendo demendo in usum suum conformare solent, et quod solemne aliquid in illo numero inest: testimonio est belli Troiani et pristini belli sacri, quod Crisaeum vocatur, exemplum, quorum utrumque apud Athen. l. c. cum bello Phocensi comparatur.

Denique in ipso de re ditibus libello insunt quae etiam probabiliorem reddunt Cobeti coniecturam, quoniam non probata illa ne explicari quidem apte possunt. Ac primum quidem mirum est, quod auctor omnes ait Graecos socios Atheniensibus futuros esse legatos de liberando templo mittentibus contra eos *οἵτινες ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερόν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο*. Quid? quinam sunt illi qui hoc conabantur? Ex vulgari quidem rerum gestarum memoria — i. e. si semel occupatos Delphos statuimus, scil. Cl. 106, 2 — non Thebani solum, sed Amphictyones, i. e. praeter illos Thessali (cf. Dem. II, 7. Aesch. II, 140), Oetaei (Aesch. II, 142), Locrenses, alii multi (Aesch. II, 116. Diod. XVI, 29), e quibus Locrenses quidem Diodorus ineunte bello (scil. secundum eius narrationem Ol. 106, 2) a Phocensibus dicit fugatos esse. Quomodo igitur polliceri potest auctor Athenienses omnes Graecos socios habituros esse? Ex his quae diximus patet tum, cum scriberetur libellus, nondum omnes Amphictyones bellum adversus Phocenses suscepisse, ita ut essent etiam tum Athenis, qui utras partes ceteri Amphictyones secuturi essent iure dubitarent. Occupaverant igitur iam tum Phocenses templum (*ἐκλιπόντων Φωκέων* V, 9), bellum iam exarserat (*συμπολεμοῦντες* *ibid.*), sed nondum commune Amphictyonum bellum, nondum bellum sacrum conflatum erat. Atqui si quinam iam tum Phocensibus arma iutulerint quaerimus, dubitari non potest quin soli Thebani voce illa *οἵτινες* a libelli auctore significantur, praesertim cum semper cum his de templi praesidio contendisse Phocenses sciamus (cf. Thuc. I, 112). Hi igitur putandi sunt conpluribus iam annis antea, quam ex altera templi occupatione ipsum bellum sacrum ortum esset, bellum gessisse, privatas potissimum iniurias ulturi Delphorumque illis praesidium erepturi, quod Phocenses, cum iam pridem adfectassent, Ol. 105, 4 demum sibi vindicaverant (cf. Philomeli orationes Diod. XVI, 23. 24. 27.); quo tamen in bello Thebanorum armis vehementer pressi haud diu post illi, quam possederant, coacti videntur Delphis recessisse. Ceteri autem Amphictyones, quibus non minus quam Thebanis curae esse debuisse Delphorum occupationem putaveris, seu bello tam cruento ac longinquo refragantes seu Pho-

censibus minus quam Thebanis ipsis irascentes (cf. Justin. VIII, 1: factum Phocensium . . . plus tamen invidiae Thebanis . . . quam ipsis intulit), tum nondum belli participes videntur extitisse. — Accedit aliud aliquid, quo Cobeti sententia vel maxime adiuvatur. Etenim id quidem puto omnibus perspicuum esse auctorem huius libelli, quisquis fuit, cum verba illa scriberet, benevolum fuisse Phocensibus, Thebanis infestum; contra horum enim machinationes fanum delphicum defendi volt. Quam certe plurimorum tum fuisse Atheniensium sententiam ex oratoribus satis colligere possumus (cf. Dem. d. cor. 18: οὕτω διεκείσθε ὥστε Φωκέας μὲν βούλεσθαι σωθῆναι . . . Θεβαίους δ' ὅτιοῦν ἂν ἐφησθῆναι παθοῦσιν; id. d. f. leg. 21: Θεβαίων τῶν βουλευσάντων τὴν κατάληψιν τοῦ ἱεροῦ; similiter etiam Aesch. II, 117 Thebanos vituperat, ubi addit schol: ὅτι καὶ Θεβαῖοι ἐπλημύελησαν περὶ Φωκέας καὶ τὸ ἱερόν. cf. etiam Dem. V, 10. XIX, 51 fin. XXIII, 102; Aesch. III, 118 cum schol; Isocr. V, 54. VIII, 115; Xen. h. gr. VI, 3, 1; Paus. III, 10, 3.) Ac nescio an illud οὔτινες (non nominatis Thebanis) contemptus quandam habeat notionem. Phocenses igitur templum delphicum occupasse, si minus laudat probeque factum esse existimat, at libertati quidem oraculi Pythici minime obstare aut repugnare putat. Hoc igitur tempore, qui conscripsit de re ditibus libellum, favet Phocensium caussae: non tamen fauturus fuisse videtur, si exorso iam ipso bello sociali scripsisset. Nam si minus occupato statim iterum templo (Ol. 106, 2), at non multo post, occiso scilicet Philomelo (Ol. 106, 3), Phocenses, imprimis Onomarchus et Phayllus (Strab. p. 421), diripere coeperunt pecunias sacras, divendere anthemata, nulla vi nulla rapina abstinere, ita ut vel amicos fautoresque a partibus suis absterrent. Quis autem credat eum virum, qui hoc ipso loco, qui praecipue in fine libelli, ubi oraculo delphico consilia sua probari volt, vel maxime sibi cordi esse fani illius salutem testetur, umquam sacrilegorum hominum consilia probaturum fuisse? Equidem ne id quidem crediderim, tantae religionis hominem contra commune Amphictyonum decretum, quale Ol. 106, 2 statim post alteram templi occupationem factum est, eorum caussae addictum fuisse, qui illo ipso decreto templi

hostes declarati sint. Itaque vel hinc et Cobeti coniectura et nostra de aetate huius libelli sententia conprobatur.

Restat ut brevi repetamus quae ad confirmandum terminum eum, ante quem conscriptus libellus noster sit, locus V, 9 conferre videatur. Qua de re haec statuenda sunt: scriptus est et occupato a Phocensibus et rursus derelicto templo delphico discordiisque cum Thebanis iam exortis, ante tamen quam iterum occupato illo ipsum bellum sacrum exarsisset ceterique Amphictyones Boeotorum se societati addixissent. Atqui quoniam, ut supra ostendimus, annus post finitum bellum sociale primus tum nondum exactus fuisse dicitur (d. red. IV, 40), haud errare videmur, si extremo Ol. 106 anno primo libellum de re ditibus confectum esse ponimus.

Ab hac quam secuti sumus sententia plane recedit H. Hagenius, qui (Eos II, p. 149 sqq.) εὐρήματα tria sibi videtur invenisse: primum conscriptum esse libellum post pacem Philocrateam Ol. 108, 2 contendit; deinde esse orationes duas eodem tempore de eadem re habitas, postea autem in unum conglutinatatas; denique, id quod ex duobus illis sequitur, Xenophontem auctorem non esse. Atque hoc quidem loco de prima tantum viri docti sententia dicendum est, quam primo loco eo confirmare studet, quod pacem IV, 40 et pacem V, 12 memoratam eandem esse negat. Hanc enim esse pacem maritimam, id quod ex additamento κατὰ θάλατταν sequatur, illam terrestrem esse et ex verbis εἰσφορὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ et inde apparere, quod IV, 42—48 de terrestribus periculis defendendis praecaveatur. At εἰσφορὰς quidem etiam in bello maritimo opus esse supra demonstravimus; quae autem IV, 42 sqq. enarrantur, non spectant ad bellum IV, 40 commemoratum, sed ad futurum aliquod bellum, quod oriri posse nonnulli fortasse existimaverint. Non enim ad certum omnino bellum ea quae hic praecaveantur referenda esse, sed ad fictum aliquod atque per hypothesin e cogitatione depromptum eo evincitur — id quod iam Bakius perspexit —, quod Thebae et Megara, urbes scilicet proximae ac vicinae, quasi hostiles inducuntur. — Neque id audio, quod V, 12 relictus omnes in bello praeterito aut

defecisse aut profusos esse, IV, 40 autem reliquias (überschüsse) superfuisse quasdam, quibus etiam postero anno rempublicam Athenienses administrare possent, Hagenius narrari contendit. Non enim IV, 40 auctor dicit: *ἂ πρὸ τῆς εἰρήνης χρήματα ἠΰρισε τὰ τέλη, ἀπὸ τούτων καὶ τὸ ἐπιὸν ἔτος διοικήσεσθε τὴν πολιν, sed ὅσα . . . ἀπὸ τοσοῦτων . . . διοικεῖτε*, i. e. eadem redituum summa, qua durante bello res gerebatis, etiam nunc, primo post compositum bellum anno, rem publicam administratis. Consolaturus igitur cives quosdam, qui propter bellum praeteritum nil iam conferri a populo ad augendos reditus posse suspicentur, pace conclusa dicit non deminutos reditus esse eos, quos extremo belli tempore exigissent, sed ab eadem summa, non minore quam antea, etiam nunc res suas populum administrare; immo vel maiores in dies fieri reditus addit, quia pax sit; id quod optime convenit cum iis quae V, 12 exponit: *ἐπεὶ δὲ εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται, ἠύξημένας τε τὰς προσόδους* cet. — Nec minus inanis ea videtur esse caussa quam deinde (p. 152) Hagenius adfert: pacem V, 12 commemoratam quasi iam diu praeteritam ait describi, id quod ex optativo βούλονται (ἐξὸν τοῖς πολίταις χρῆσθαι ὅτι βούλονται) concludi possit, illam autem, de qua IV, 40 agatur, paullo antequam scriptus libellus sit ictam esse (τῷ νῦν πολέμῳ). Illud enim βούλονται rectissime Dindorfius (in edit. Oxon. adnot. ad l. c.) corruptum esse coniecit ex βούλονται (fortasse locus V, 7 θέσθαι ὅπως βούλονται corruptelae caussa fuit); hoc autem si probamus, quomodo ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ τὸν πόλεμον (V, 12) diversum sit ab illo ἐν τῷ νῦν πολέμῳ (IV, 40), non video. — Altero loco Hagenius, quod I, 1 de sociis non vexandis mentio fiat (ἐπεὶ δὲ τῶν Ἀθήνησι προεστηκότων ἔλεγόν τινες ὡς γιγνώσκουσι μὲν τὸ δίκαιον οὐδενὸς ἦτον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, διὰ δὲ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν ἀναγκάζεσθαι ἀδικώτεροι εἶναι περὶ τὰς πόλεις, ἐκ τούτου ἐπεχείρησα σκοπεῖν, εἴ πη δύναιντ' ἂν οἱ πολῖται διατρέφεσθαι ἐκ τῆς ἑαυτοῦ cet.), ad belli socialis tempus referri non posse libellum, debere ad pacis Philocrateae aetatem dicit. Quem tamen locum plane non intellexit vir doctus. Etenim quae ibi de sociis proferuntur, non ad praesens tempus, sed ad praeteritum referenda esse ex im-

perfecto ἔλεγον apparet; de praesenti autem tempore nil memoratur nisi quod efficere auctor volt, ut suspecti (ἐπικεκουρωθῆσθαι . . . τῶ ὑπόπτους τοῖς Ἕλλησιν εἶναι) Athenienses ceteris Graecis esse desinant. Suspecti enim propter belli socialis vitia omnibus erant (Isocr. VIII, 19). Sententia vero §. primae ea fere est, ut auctor, cum homines quosdam in republica potentes propter Atheniensium, ut dicebant, inopiam socias vexavisse animadvertisset, ipse iam tum (ἐκ τούτου ἐπεχείρησα σκοπεῖν) de augendis populi reditibus cogitare temptaverit. Etiam praesenti autem, quo scribebat, tempore hunc in modum iniuriam sociis fieri omnino non dicit.

Sequitur ut ea examinemus quae de loco V, 9, ubi templi delphici occupatio memoratur, Hagenius disputavit. Qua in re Cobeti quidem de verbis ἐκλιπόντων Φωκέων sententiam sequitur, non sequitur quae idem de duplici coniecit templi occupatione, sed nisi ad Ol. 108, 2, quo anno de Phocensium deditione a Dercylo Athenas delatum sit, verba illa referri posse negat. Hoc enim anno eum recessissent Phocenses, templum delphicum a Philippo Thebanis traditum videri teste Demosthene (d. f. leg. 59 ὅτι πάντα τὰ πράγματα ἐγκεχείρικε Θεβαίοις ὁ Φίλιππος). Atque quid nos de loco illo sentiamus, supra exponere conati sumus: quod utut se habet, id quidem pro certo adfirmaverim, ad Philocrateae pacis tempestatem ne posse quidem verba illa referre. Primum enim Demosthenis ille locus ab Hagenio citatus in universum magis spectat quam unde Thebanis tum templum a Philippo traditum esse coniceremus, neque ipsa auctoris nostri verba οὔτινες . . . καταλαμβάνειν ἐπειρωῶντο ut factum tum, cum scriberentur, hoc esse putemus permittere videntur. Deinde si de Phocensium deditione verba facere voluisset, mirarer hoc verbis ἐκλιπόντων Φωκέων fieri, quasi Delphis tantum Phocenses recessissent et alio nescio quo se contulissent. Denique, quae mihi videtur gravissima caussa, fieri omnino non potuit, ut quo tempore non modo Amphictyones plerique cum Thebanis contra Phocenses se coniunxerant, sed Philippus quoque eorum se societati addixerat, sanus ullus homo omnes Graecos cum Atheniensibus contra Thebanorum iniuriam foedus icturos esse polli-

ceretur. Non enim Thebani, sed ipsi Athenienses ceterorum Graecorum tum societate carebant: hoc luculenter vel ex praeclarissima Demosthenis de pace oratione apparet paullo post habita, in qua, si contra Philippi Amphictyonumque instituta recentia reniterentur Athenienses, prorsus desertos eos atque solitarios futuros esse docet.

Haec omnia si quis tenuerit, iis quae secundario loco Hagenius adfert quaeque mirum in modum cum computatione sua congruere dicit (p. 157. 166.), haud facile decipietur. Etenim quoniam teste Demosthene (d. f. leg. 60), cum Dercyllus nuntius adveniret, de navalium condicione concio habebatur, in qua de hac ipsa re consentaneum est etiam orationes quasdam habitas esse, in earum numero hanc quoque quam manibus tenemus commentatiunculam fuisse putat, quippe in qua de talibus rebus mentio fiat (maxime III, 12. 13.). Omnino autem in unoquoque redituum genere illa aetate ab Atheniensibus dicit elaboratum esse, id quod ad nostrum libellum videatur esse referendum. Sed ille quidem de extruendis eiusmodi aedificiis locus in totius libelli connexu solitarius et prorsus secundarius est nec tam ad ipsa navalia (*νεωσοίκους, νεώρια*) quam ad domos mercatorias aedificandas (*καταγώγια, πωλητήρια*) pertinet. Et, quaeso, num est credibile in oratione de revidendis navalibus habita de tot tamque diversis rebus, quales sunt terrae natura meteororum condicio mercatura navigium argentifodinarum status pacis conservatio, ita verba facta esse, ut de ipsis navalibus tantum non nil diceretur? Hoc mihi ne ita quidem persuadere potui, si, ut volt Hagenius, in duas orationes consilia illa distribuamus. Ceterum si illa aetate scriptum hunc libellum esse faciamus, quomodo illa, quae post pacem Philocrateam ad navigium ac mercaturam aliaque redituum genera sublevanda narrantur instituta esse (cf. locos Dem. Chers. 67. d. f. leg. 89 ab Hagenio citatos), ad libellum de reditibus referri possint, equidem non intellego. Quae enim hic commendantur paene omnia adeo a vero rei publicae statu remota, adeo ex cogitatione tantum docti alicuius hominis profecta sunt, ut nec sint, quantum quidem nos scimus, umquam in republica perpetrata nec posse omnino magna ex parte perpetrari videantur.

Optime enim Boeckhius l. c. p. 781: vorschläge, die schwerlich mit vorteil ausführbar waren, so wohlwollend auch die gesinnungen sein mögen, aus welchen sie hervorgiengen; p. 783: unklares ist in dieser ganzen darstellung nichts, aber unbegründet beinahe alles; denique p. 784: auch hier erbaute der philosoph den Athenern ein luftschloss. Plura de his in tertia parte proferemus.

His expositis videndum est, quemadmodum ea, quae de tempore libelli statuimus, cum vitae et spatio et exitu Xenophontis convenire videantur, quippe a quo libellus conscriptus esse perhibeatur (cf. Menander, rhet. gr. ed. Walz IX p. 161, 2. Diog. Laert. II, 57. Athen. p. 272 E. Etym. magn. p. 644, 4.). Atque de morte eius cum certi nil a veteribus testibus traditum sit, nisi quod Stesiclides vel, ut correxit Dindorfius, Stesilides quidam (apud Diog. Laert. II, 11, 56) magna cum improbabilitate Ol. 105, 1 decessisse dicit (W. Nitschius in progr. Berol. 1871 p. 16 falso intellexisse censet Diogenem Stesilidis illum locum: videri enim non *κατέστρεψε τὸν βίον* sed *κατέστρεψε τὰ Ἑλληνικά* dicere voluisse), Kruegerus (Stud. hist. phil. II, p. 285) coniectura probabilissima anno Ol. 106, 2 mortem eius attribuit. (Similiter Clintonus, fast. hell. II, append. XV p. 346 memorato Stesilidis testimonio: that Xenophon lived somewhat longer is indeed probable.) Quae sententia confirmatur primum loco hist. gr. VI, 4, 36, ubi Alexandri Pheraeorum tyranni nex commemoratur. Quamquam enim parum accurate Diodorus XVI, 14, 1 archonte Agathocle Ol. 105, 4 interfectum eum esse narrat (immo Ol. 105, 3 occisus esse videtur; cf. Büchschütz, praef. ad hist. gr. p. VII), id quidem ex commemoratione ista evincitur, conpluribus demum annis post Ol. 105, 1 historiam graecam a Xenophonte confectam esse. Deinde cum alii (ut Demetr. Magnes ap. Diog. Laert. l. c. et Diodorus XV, 76, 4), tum summam Xenophonti senectutem Lucianus vel, si mavis, Pseudolucianus (Macrob. 21) tribuit, qui vel disertis verbis nonaginta amplius annos eum vixisse dicit. Atqui quoniam ante Ol. 84, 1 natus esse non potest (cf. Krueger l. c. p. 275. Nitsche l. c. p. 18 sqq.), valde

est verisimile intra Ol. 106 et 107 eum defunctum esse. Pro temporum igitur ratione dubium vix est quin potuerit Xenophon huius libelli auctor esse, praesertim cum in ipso quoque libello inveniantur vestigia quaedam, unde conscriptum esse ab homine aetate iam proveciore conicere licet (cf. inprimis IV, 25). Priusquam autem non potuisse solum scribere, sed videri scripsisse Xenophontem caussis quibusdam et e rebus tunc gestis et ex ipsius libelli materie petitis ostendamus, ut quaestionis quasi certiora quaedam fundamenta iaciantur, pauca de huius libelli dicendi genere disputanda sunt.

Cap. II.

Atque in hac quidem re cum alii tum Bakius praemunivit viam, qui, postquam universa quaedam de sermone Xenophonteo disputavit, l. c. p. 72 sqq. comparatis singulis libelli locis cum Xenophontis dicendi ratione persuadere legentibus studet plane congruere inter se et auctoris nostri et Xenophontis sermonem. Qua in re quamquam eorum quae disseruit permulta haud contemnenda sunt, tamen non semper recta via mihi incessisse videtur. Tropis quidem recte dicit (teste Galeno XII p. 326 E) usum Xenophontem libenter fuisse nec minus vocibus poeticis. Deinde bene disponere solitum esse adseverat ea quae scriberet, non praeponentem ultima primis. Unum, inquit, ex altero sponte fluit, omnibusque accurate expositis ἀνακεφαλαίωσιν denique addit. Item exordium et epilogus Xenophontis indolem prodit. Quae cum per se omnia recte se habeant, quid tamen ad rem inlustrandam valeant, eequidem non video. Quis enim, quaeso, eius aetatis, scriptor bonus ac diligens, non bene quae proferebat in certas quasdam partes distribuit? Quis proposuit ultima primis? Quis denique aut partium singularum alteram ex altera sollerter quasi derivare aut praemittere exordium clausulamque in fine addere in huiusce generis commentatione supersedit? Hac igitur disputandi ratione nil certi efficitur; in singulas necesse est voces atque structuras singulasque dicendi consuetudines inquiramus, si proficere volumus, neque satis est dispositionis

exordii epilogi aliorumque usum Xenophonti assignavisse, sed exponendum quemadmodum ille his omnibus usus sit.

Atque voces quidem poeticae quibus libenter usum Xenophontem esse recte Bakius dicit quibusque ii referti sunt libri Xenophontei, qui eadem aetate conscriptae eademque fere sunt amplitudine (cf. Hipp. IV, 10: σκοπία, VI, 5 et 8: ὄχθος; d. re equ. III, 7: ἀνορούνει et ὄχθος, 11: δίνευμα, 12: ποδώκης et ὑπέρθυμος, V, 1: ἔλκος et ἀσινής, 3: ἀχαλίνωτος, 8: ἀγλαΐα, VI, 14: εὐκάρδιος, VII, 1: εὐτρεπής, 11: διαχαλῶν, VIII, 5: ἀνορούνει, 10: ἱππότης, X, 6: ἀσχάλλειν, 7: χάσκειν, 15: κυδριός, 16: γανριᾶσθαι et κυδριός, XII, 8: ἀφανυρός alia), ne in nostro quidem libello desunt. Extant enim exempla haec: περιέρρυτος I, 7 (cf. Aesch. Eum. 77. Soph. Phil. 239. Eur. Phoen. 209. Alc. Fr. 16 Bgk.; similiter Anab. I, 2, 22), ἀμφιθάλαττος ibid. (Pind. Ol. VII, 61); ἀένναος IV, 17 (cf. Hes. opp. 595. 737. Ar. nub. 275; legitur Xen. h. gr. III, 2, 19; Cyrop. IV, 2, 44. venat. VI, 5); IV, 50 χῶρος (pro ἀγροί, opposito ἄστει, ut etiam Oec. V, 4. 9. conv. VIII, 25, et ex poetis Od. η, 123. Hesiod. opp. 390. theog. 806. Pind. Ol. III, 41 al.); λῶον καὶ ἄμεινον VI, 2. 3. (Od. κ, 376; invenitur Anab. VI, 2, 15. VII, 6, 44.); denique addere possis παντοδαπός V, 12, quod poetis et praeter hos poetarum imitatori Platoni proprium est. — Neque tropicae desunt locutiones, ad quod genus referenda sunt I, 4: γηράσκειν, III, 6: προσδαπανᾶν ψήφισμα (δαπανᾶν etiam Cyrop. II, 2, 15 tralaticie usurpatur), IV, 9: νοσεῖν de urbe dictum (ut Anab. VII, 2, 32. comm. III, 5, 18); IV, 41: ἐγείρειν πόλεμον (ut Hipp. I, 19). — Ceterum in ipsa verborum cognitione cavendum est id, in quod Bakius nonnunquam incidisse videtur, vitium, nimirum ne comparantes singula huius libelli vocabula cum usu Xenophonteo alios quoque scriptores his vocabulis non minus quam Xenophontem usos esse obliviscamur; qua comparandi ratione nil efficitur nisi ut talia verba non prorsus abhorruisse ab illius sermone putanda sint. Huc pertinet quod Bakius I, 1 ἐπεχειρήσα σκοπεῖν, I, 2 ἀληθὲς λέγω et πρῶτον διηγῆσομαι, I, 3 et VI, 26 ἀντὰ τὰ πράγματα μαρτυρεῖ (cf. Dem. XXIV, 16), III, 4 προεδρία aliaque propria esse Xenophonti exemplis ex

ceteris eius libris depromptis demonstrare volt et quod ex. grat. illud *παροικουσῶν* (I, 5), quod est *ἄπ. εἰρημένον*, ex aliis duobus locis (h. gr. VII, 5, 10. comm. II, 3, 18), ubi *οἰκεῖν* sensu passivo usurpatur, Xenophonti vindicare studet. Quasi vero aut illae locutiones aut haec passiva verbi *οἰκεῖν* notio uni alicui scriptori propria, non omnibus fere Atticis communia essent! (cf. Thue. II, 37. Plat. rep. VIII p. 547 C. legg. p. 702 A. Dem. XX, 49).

Sed utut de his locis est iudicandum, alii sunt praeter illos, qui maxima cum probabilitate ad ipsam Xenophonti consuetudinem referri debeant. De poeticis quidem vocabulis iam diximus; est etiam aliud verborum genus, quod, cum ab ipso Xenophonte lege quadam certa conponi soleat, non dico poetici, at insueti saltem aliquid habet. Amat enim nova vel substantiva vel adiectiva vel verba eo, quod simplices formas cum vocolis certis velut *εὐ-*, *πολυ-*, *κακο-* aliis coniungit, quasi ex integro formare. Hunc in modum a Xenophonte aut conposita aut primum certe in sermonem pedestrem introducta videntur haec: coniuncta cum *εὐ-*: *εὐανάκλητος*, *εὐπάλλακτος*, *εὐδιάβατος*, *εὐδίαιτος*, *εὐεξάλειπτος*, *εὐεύρετος*, *εὐθήμοσύνη*, *εὐῥιξις*, *εὐμενίζειν*, *εὐοπλία*, *εὐπερίσπαστος*, *εὐπλατής*, *εὐποδία*, *εὐπρακτος*, *εὐσκιος*, *εὐσκοπος*, *εὐτολμος*, *εὐφλεκτος*; cum *πολυ-*: *πολυανθρωπία*, *πολυαρχία*, *πολύγονος*, *πολυδωρία*, *πολύενκτος*, *πολυκαρπία*, *πολυοψία*, *πολυσαρκία*, *πολυσιτία*, *πολυφορία*, *πολυχρηματία*, *πολύχρυσος*; cum *κακο-*: *κακοδαιμονεῖν* (Hier. II, 4 praeter *κακοδαιμονᾶν*), *κακοπράγμων*, *κακοσκελής*; cum *μεγαλο-*: *μεγαλογνωμοσύνη*. Quae omnia a Xenophonte — hoc est tenendum — aut inventa aut primum in prosa oratione usurpata sunt, omissis iis, quae cum ceteris bonis scriptoribus communia habet. Praeterea vocabulis cum syllabis *παν-*, *ἄξιο-*, *ἦδν-*, *δυσ-* coniunctis ceteris eiusdem aetatis scriptoribus frequentius utitur: in scriptis eius huiuscemodi vocabula leguntur raro, quae nusquam apud ceteros, saepe, quae apud ceteros raro inveniuntur. Cum *παν-* coniuncta sunt: *παγγάλεπος*, *πάγχρηστος*, *παμμεγέθης*, *παμπληθής*, *παμπόνηρος*, *πάμπολυς*, *πάμφορος*; cum *ἄξιο-*: *ἄξιοβίωτον*, *ἄξιοθέατος*, *ἄξιάκουστος*, *ἄξιόκτητος*, *ἄξιόλογος*, *ἄξιωμακάριστος*, *ἄξιόνυκος*, *ἄξιοπρεπής*,

ἀξιόσκεπτος, ἀξιοστράτηγος (Anab. III, 1, 24; Dind.: ἀξιοστρατήγητος), ἀξιοτέκμαρτος, ἀξιοτίμος, ἀξιουργός, ἀξιοφίλητος, denique ἀξιόχρεως, quod tamen cum Thucydide, et ἀξιομνήμευτος et ἀξιοπίστος, quae cum Platone, poeticarum vocum amatore, communia habet; cum ἡδυ-: ἡδυγνώμων, ἡδύοινος, ἡδυπάθεια, ἡδυπαθεῖν, ἡδυσώματος; denique cum δυσ- (quam coniunctionem iuvat quam fieri potest integerrimam colligere, ut hoc exemplo quam late pateat usus iste Xenophonteus demonstretur); δυσάνεκτος, δυσάποτρεπτος, δυσάρεστος, δυσβατοποιεῖσθαι (Hipp. VIII, 9), δύσβατος, δυσγάργαλις, δυσδιάβατος, δύσελις, δυσέλπιστος, δυσέμβολος, δυσεπιβούλευτος, δυσεύρετος, δύσερως, δυσζήτητος, δυσθετεῖσθαι, δύσθυμος, δύσιππος, δυσκάθεκτος, δυσκατάπρακτος, δυσκατάστατος, δυσκαταφρόνητος, δυσκατέργαστος, δυσκλεής, δύσλυτος, δύσμαχος, δυσμενής, δυσμεταχείριστος, δύσνους, δυσολίκτης, δυσόρατος, δύσορμος, δύσοσμος, δυσπάλαιστος, δυσπάριτος, δυσπειθής, δύσπειστος, δύσπνοια, δυσπόλεμος, δυσπολιόρηκτος, δυσπόρευτος, δυσπόριστος, δυσσύμβολος, δυσσύνετος, δυστραπέλως, δυστυχής, δυσφορεῖν, δύσφορος, δυσχέρεια, δυσχερής, δυσχωρία*). Quo in numero pauca quaedam et usitatiora omnibus videntur Atticis assignanda esse, velut πάμπολυς, δυσμενής, δύσνους, δυστυχής, δυσχερής; παμπληθής et παμμεγέθης apud unum Demosthenem frequentius inveni (cf. XX, 56. XIX, 19. 145. 241. XXXVII, 43 al.); cetera aut propria Xenophonti aut cum poetis solum posteriorumque temporum scriptoribus communia sunt.

Harum coniunctionum sua cuiusque exempla ne in nostro quidem libello desiderantur, quae brevi enumerare operae pretium videtur. Cum ἀξιο- composita sunt: ἀξιάκουστος V, 4 (ut Oec. VIII, 3 et Conv. IV, 43, ubi item cum ἀξιοθέατος copulatur), ἀξιοθέατος ibid. (usitatissima Xenophonti vox, de pompis etiam Hipp. III, 1. Hier. I, 11 dicta), ἀξιόλογος III, 4 (item Xenophonti usitatissimum); cum δυσ-: δύσελις III, 7 (h. gr. V, 4, 31; δυσέλπιστος Cyrop. VI, 1, 47.) et δυσεύρετος IV, 13 (comm. III, 4, 7; ut de re dit. l. c. cum figura etymologica δυσεύρετόν τι ἐξηγηρηκώς, sic Oec. VIII, 17: εὐρήσομεν ...

*) Ex Agesilao, ex Laced. et Atheniens. reb. publicis, quippe quae suppositicia habeantur a plerisque, nec hic nec antea exempla attulimus.

εὐεύρετον χάραν.), cum ἡδύ-: ἡδύοις V, 3 (quod etiam Anab. VI, 4, 6 legitur, alio tamen sensu, apud ceteros bonae aetatis scriptores omnino non invenitur; cf. Poll. on. VI, 22); cum εὐ-: εὐδήλος IV, 18 (frequens apud Xenophontem vox nec tamen ceteris insueta), εὐκλεής VI, 1 (quod item frequens in Xenophontis scriptis est; ut l. c. comparativus, sic Hipp. I, 1. h. gr. VII, 2, 20 superlativus legitur; cf. ibid. I, 19 εὐκλεία); εὐπειθής IV, 51 (Hipp. I, 7, 24. Cyrop. II, 1, 22, alias; cf. δυσπειθής comm. IV, 1, 3. 2, 25. et δύσπειστος Hipp. I, 23); εὐπόλεμος IV, 51 (plane congruenter de civitate dictum Oec. IV, 3; ceteri boni scriptores non habent); εὐτακτος IV, 51 (similiter Anab. III, 2, 30 εὐτακτοτέρους καὶ πειθομένους μᾶλλον atque adeo comm. III, 5, 5 εὐπειθεσιτέρους καὶ εὐτακτοτέρους, ut nostro loco εὐπειθεσιτέραν καὶ εὐτακτοτέραν. cf. ibid. III, 5, 21: εὐτακτεῖν καὶ πειθαρχεῖν. Hipp. I, 24; III, 7.); cum μεγαλο-: μεγαλοπρεπής IV, 8. VI, 1 (quod saepe apud Xenophontem legitur); cum παν-: παμπληθής IV, 7. 36. (cf. h. gr. II, 4, 3. III, 2, 3. 8. 4, 7. 12. 22. IV, 1, 20. VI, 5, 26); πάμπολυς IV, 1. 34 (cuius ex Xenophonte exempla adscribere supervacaneum est); πάμορφος I, 3 (h. gr. III, 2, 10. Oec. XX, 23. comm. II, 4, 7.); cum πολυ- et πολλα-: πολλαπλάσιος IV, 4. 25. (Oec. XX, 24. Hier. I, 13. al., praeter Xenoph. etiam Platonis dialogi hac voce abundant); πολυανθρωπία IV, 41 (hoc vocabulum rarissimum extat etiam h. gr. V, 2, 16); πολυάνθρωπος IV, 50 (Anab. II, 4, 7. h. gr. II, 3, 24; usurpatur tamen etiam a Thucydide aliisque historicis); πολυέλαιος V, 3 (ἄπ. εἰρημένον), πολύοις ibid. (de hominibus nusquam praeterea dictum), πολυπρόβατος ibid. (item vox rarissima), πολύσιτος ibid. (πολυσιτία quidem invenitur h. gr. V, 2, 16; cf. Oec. XX, 27: οἱ ἔμποροι φιλόσιτοὶ εἰσι), πολυχρόνιος III, 10 (occurrit etiam comm. I, 4, 16). Denique nescio an καινοτομεῖν quoque illud, quod extat IV, 27 sqq., huc sit referendum: quamquam enim apud Xenophontem non legitur, tamen ne hanc quoque coniunctionem ab eius ingenio abhorrere ostendit vox καινουργεῖν locis Hipp. IV, 5 et h. gr. VI, 2, 16 probata. — Habemus igitur, si omnia computamus,

paene trīginta locos, quibus ista Xenophontis loquendi ratio etiam in hoc libello confirmari videtur.

Iam, ut singulas quoque structuras totamque orationis conformationem paullo accuratius examinemus, memorabile est, quod et totius libelli et singularum partium et initia et termini et qui dicuntur transitus mirum in modum cum ea, quam ex ceteris scriptis cognitam habemus, Xenophontis consuetudine convenire videntur. — Primum enim id Xenophontis videtur proprium esse, quod incepturus librum aliquem ab re gesta vel instituto vel more aliquo exorditur, quae se vel vidisse vel audisse dicit, aut ab sententia aliqua, quam peritia doctum pro vero se habere adfirmat. Sic *Cyrop.* I, 1, 1 legitur *ἐννοιά ποθ' ἡμῖν ἐγένετο* cet. (cuius exordii etiam sententia haud absimilis est ei quam noster libellus in fronte habet); *Conv.* I, 1: *ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργον οὐ μόνον* cet; *Venat.* I, 18 (hinc enim orditur libellus, cf. Haupt, *Philol.* I, p. 650): *ἐγὼ μὲν [οὖν] παραινῶ τοῖς νέοις* cet; *Comm.* I, 1, 1: *πολλάκις ἐθαύμασα τίσι ποτὲ λόγοις* cet; sic denique de re *dit.* I, 1: *ἐγὼ μὲν τοῦτο ἀεὶ ποτε νομίζω* (qui locus nescio an ad *Cyropaediae* epilogum VIII, 8, 5 ante oculos fuerit interpolatori. cf. *ib.* VIII, 1, 8.). — Nec tamen multum valere hanc similitudinem haud insulse aliquis obiciat, quia etiam in libris virorum doctorum sagacitate Xenophonti abiudicatis talia exordia inveniantur; quamquam id quidem concedendum, eum librum, quem nec Xenophonteum nec ad Xenophontis scriptorum imitationem expressum esse inter omnes fere constat, Atheniensium dico rem publicam, tali exordio non instructum esse. — Deinde in exitu librorum, si omnino peculiarem habent exitum, non, velut *Anab.* et *Hist. gr.*, cum ipso rerum gestarum fine quasi ex abrupto etiam libri finiuntur, aut cum universali aliqua desinit sententia, quae toti disputationi quasi cumulum quendam addat eorumque quae disseruit summam describat, aut iis quae dixerat paucis denuo comprehensis breviter se finem ait enarrationis facere. Illius rationis exempla sunt *Oecon.*, *Hiero*, *Venat.* (XII, 18 sqq.), *Hipparch.*, huius *Convivium* et de re equ. libellus. Nostrae autem commentationis exitus ad priorem illam propius accedit rationem monetque nos inprimis *Hipparchici*

epilogi, maxime quia ibi quoque deorum summo arbitrio consiliorum quasi fructus subiciuntur.

Ceterum, quoniam Hipparchici mentionem fecimus, neminem fugere potest, in hoc et in nostro libello multas sententias atque adeo singulas locutiones consimiles occurrere. Conferantur ex. gr. Hipp. I, 19 ἦν πόλεμος ἐγείρηται et d. red. IV, 41: εἰ πόλεμος ἐγεῖρηται. Hipp. II, 2: οὐκοῦν ὑπὸ μὲν τῆς πόλεως ὑπάρχουσι διηρημένοι (δέκα add. Cob.) φυλαί et d. rediv. IV, 30: εἰσὶ γὰρ δὴ πον Ἀθηναίων δέκα φυλαί. Hipp. VIII, 18: οὕτω γὰρ οἶμαι ἐκπληκτικωτέρους τοῖς ἐχθροῖς ἂν εἶναι καὶ δυσμαχωτέρους ibidemque IX, 3: δοκοῦσι γὰρ ἂν μοι οὗτοι προσγενόμενοι καὶ εὐπειθέστερον ἂν πᾶν τὸ ἱππικὸν ποιῆσαι καὶ φιλοτιμότερον, et d. red. IV, 51: πραχθέντων . . ἂν εἴρηκα σύμφημι . . οὐ μόνον ἂν χρήμασιν εὐπορωτέραν τὴν πόλιν εἶναι, ἀλλὰ καὶ εὐπειθετέραν καὶ εὐτακτοτέραν (cf. Comm. III, 5, 5); Hipp. IX, 6: νομίζω δὲ καὶ μετοίκων φιλοτιμεῖσθαι ἂν τινες εἰς ἱππικὴν καθισταμένους et d. red. III, 11: ἐλπίζω δὲ καὶ βασιλέας ἂν τινες καὶ τυράννους καὶ σατράπας ἐπιθυμῆσαι μετασχεῖν ταύτης τῆς χάριτος. Hipp. V, 14 et IX, 8: σὺν τῷ θεῷ πράττειν et d. red. VI, 3: σὺν γὰρ θεῷ πραττομένων. Qua de re infra, ubi de consiliorum libello nostro prolatorum natura atque indole dicemus, pauca adicienda erunt.

Iam vero in singulis partibus id fere videtur huius libri esse, ut multa cum accuratatione peracta parte aliqua auctor quae exposuerit brevi repetat indicetque quae sit expositurus. Sic II, 1: τούτων μὲν οὖν ἀπάντων, ὥσπερ εἶπον, νομίζω αὐτὴν τὴν χώραν αἰτίαν εἶναι· εἰ δὲ cet.; III, 1: ὡς γε μὴν καὶ ἐμπορεύεσθαι ἠδίστη τε καὶ κερδαλεωτάτη ἢ πόλις, νῦν ταῦτα λέξω. IV, 1: τά γε μὴν ἀργυρεῖα εἰ κατασκευασθεῖν ὡς δεῖ, πάμπολλα ἂν νομίζω cet.; 11: ταῦτα μὲν οὖν ἐδήλωσα τούτου ἕνεκα cet.; 13: ἵνα δὲ καὶ σαφέστερον περὶ τῆς τροφῆς εἶπω, νῦν διηγῆσομαι cet.; 33: καὶ ἐμοὶ μὲν δὴ εἴρηται, ὡς ἂν ἠγοῦμαι cet. Idem in parte unaquaque saepissime inferiores quasdam partes discernit solitisque particulis πρώτον, εἶτα, ἔτι aliis inducit; idem denique ea, quae ipsius sententiae obici posse videantur, diligenter et enumerare et refutare solet. (cf. II, 3. 6. III, 1. 2. IV, 5. 10. 20. 22. 34. 36. 38. 41. 43. V, 1. 2. 5. 6) Qua in

re singulas et suae argumentationis partes et aliorum obiectiones longe saepissime formulis εἰ δέ τις vel εἰ δὲ καὶ vel εἰ δὲ αὖ inducit (cf. II, 1. 7. III, 3. 13. IV, 10. 22. 34. 40. 41. 44. 45. 48. V, 2. 5. 9. 10. 11. 13).

Haec disputandi ratio num in libris Xenophonteis usurpari soleat spectanti id mihi certum videtur esse, plane hac in re congruere et Xenophontis et auctoris nostri rationem. Quod ut exemplis illustremus, in Hipparchico quidem, quem nostro libello aetate fere parem, re formaque consimilem esse diximus, prorsus eodem modo et partes singulae et particulae secundariae inducuntur. Qua in re hi loci maxime videntur memorabiles: I, 9: ταῦτα μὲν οὖν ὑπομνήματα ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι· ὡς δ' ἂν ἕκαστα τούτων βέλτιστα περαίνοιτο, τοῦτο δὴ πειράσομαι λέγειν. 17: . . . ὡς ἂν αὐτοὶ οἱ ἱππεῖς ἄριστοι γίγνοιτο, τοῦτο διηγῆσομαι. II, 1: ἢ τοίνυν τάξει χρώμενοι δοκοῦσιν ἂν μοι ταῦτα κάλλιστα διαπράττεσθαι, ταύτην νῦν ἤδη πειράσομαι δηλοῦν. III, 1, postquam demonstrative dixit τῶνδὲ γε μὴν αὐτῶ ἤδη μέλειν δεῖ τῶ ἱππάρχῳ, voculis πρῶτον, ἔπειτα, ἔτι secundarias particulas significat concluditque totam expositionem ita: ὡς δὲ τούτων ἕκαστα ἂν πράττειτο, νῦν αὐτὰ λέξω. V, 4: ὅπως δὲ μὴ προστάττειν δοκῶ ἀδύνατα, καὶ γράψω cet.; 14: ταῦτα δὲ πάντα . . . σὺν τῶ θεῶ πράττειν συμβουλεύω. VIII, 10: ἔτι δὲ βούλομαι ὑπομῆσαι cet. — Deinde ne obiectiones quidem hic aliter aut proferuntur aut refelluntur atque in libello de re dit. Huc duo in primis loci pertinent VIII, 5: εἰ δέ τις νομίζει . . . ἐνθυμηθῆτω ὅτι cet. et IX, 8: εἰ δέ τις ταῦτα θαυμάζει ὅτι . . . εὖ ἴστω cet., qui commode comparantur eum d. red. IV, 22: εἰ δ' αὖ τις τοῦτ' ἐνθυμεῖται πῶς . . . ἐκεῖνο κατανοήσας θαρραίτω cet.; 34: εἰ δὲ τινες λογιζόμενοι . . . ἡγοῦνται . . . , μηδὲ οὕτως ἀθυμούντων. 41: εἰ δὲ τινες αὖ φοβοῦνται μὴ . . . ἐννοησάντων. Cum aliis duobus locis d. red. IV, 10: εἰ δέ τις φήσῃ . . . τοῦτο [lege πρὸς τοῦτο!] μὲν οὐκ ἀντιλέγω, ἐκεῖνο μέντοι οἶδα ὅτι cet. et ib. V, 5: εἰ δὲ πρὸς ταῦτα μὲν οὐδεὶς ἀντιλέγει, τὴν δὲ ἡγεμονίαν βουλόμενοί τινες ἀναλαβεῖν . . . ἡγοῦνται . . . , ἐννοησάντων compares velim Comm. I, 2, 17: ἴσως οὖν εἴποι τις ἂν . . . , ἐγὼ δὲ πρὸς τοῦτο μὲν οὐκ ἀντιλέγω . . . οἶδα δὲ καὶ cet. et h. gr. III, 2, 18: οὐδ' ἐγὼ ἀντι-

λέγω. — Condicionalis vero forma, qua abundare de red. libellum vidimus, in Hipparch. quoque est frequentissima, nisi quod praeter illud εἰ δέ τις vel εἰ δέ γε saepe etiam coniunctionem ἦν (in ἦν δέ τις, ἦν δέ γε, ἦν δ' αὖ, ἦν δέ πη, ἦν δὲ δή aliis) ibi deprehendimus. (cf. I, 26. II, 1. IV, 3. 15. 17. 19. V, 7. 15. VI, 6. VII, 2. 4. VIII, 5. 17. 23. 24. 25. IX, 8.) In cetera autem argumentatione memorabile est nullam frequentius in Hipparch. inveniri dictionem quam μὴν γε et γέ-μὴν, qua seu cum amplificatione seu cum oppositione quadam nova aliqua res induci solet (cf. I, 5. 13. 17 bis. 18. 21. 22. 24. II, 4. 7. III, 1. 6. 9. 10. 14. IV, 1. 9. 10. 13. 20. V, 1. 3. 8. VII, 3. VIII, 7. 8. 14.) Quae disputandi ratio, quam omnino Xenophonteam esse Bäumlinius in libro de partic. gr. 64, 159 ostendit, in nostro libello his locis usurpatur: II, 2. III, 1. 5. 12. IV, 1. 3. 8. 17. 18. 20. 27. 31. 37. 47. 48. 51. VI, 1. 2. Quod autem frequentius in Hipparch., in nostro libello atque etiam in libello d. re equ. hae particulae inveniuntur quam in antiquioribus Xenophontis libris (in quo Beckhausius de Xen. qui fertur Ages. Berol. 1863 p. 38 sqq. offendit), hoc ortum mihi videtur esse cum e genere horum scriptorum, quippe quae ceteris omnibus magis in disputando versentur, tum fortasse ex auctoris senectute; fieri enim solet, ut consuetudines quaedam ac proprietates in senectute multo acrius quam antea quasi eluceant. In hist. quidem graecae parte posteriore vel ipse Beckhausius animadvertit multo plura huius rei exempla inveniri quam in priore. Praeter has particulas maxime ἀλλὰ μὴν, καὶ μὴν, οὐδέ-μὴν, καὶ-γέ utrique libello propria sunt.

Longum est ceteros quoque libros Xenophonteos hunc in modum cum libello d. red. comparare: libri quidem de re equ. prorsus eadem est ratio, in quo condicionalis quidem istius locutionis et particulae γέ μὴν usus etiam frequentior, si fieri potest, quam in Hipparch. occurrit. Maiores autem illi iidemque antiquiores libri, ut Anabasis, Commentarii aliique, ubi similem in modum disputatur, similem etiam disputandi rationem prae se ferunt. In Anabasi quidem praesto sunt I, 9, 16. 18. 20 (ex Cyri laudatione funebri), V, 7, 7. 23. 8, 3. 26. VII, 6, 37. 41. 7, 31. 32. 35. 47 (ex orationibus); e Commentariis

vero, quorum tamen condicio propterea paullo alia est, quia maxima ex parte ad dialogi formam conscripti sunt, e lib. II hos iuvat locos iisdem illis formulis instructos adferre: 2, 4. 3, 4. 10. 6, 20. 25. 27. 30. 7, 1. 2. 8, 2. 4. 5. 10, 2. 3; vel plura exempla occurrunt in lib. III: 1, 6. 11. 3, 1. 2. 13. 4, 4. 8. 10. 5, 3 (bis). 7. 13. 21. 26. 6, 11. 7, 2. 5. 8, 3. 10. 9, 6. 9. 12. 13. 10, 1. 2. 5. 14. 11, 10. 11. 12, 2. 3. 4. Denique ex h. gr. libri VII cc. IV et V hos adscribo locos: 4, 24. 27. 28. 30. 38. 5, 8. 12. 21. 23. 25 (bis).

Restat ut singulas voces locutiones structuras enumeremus, quae — praeter ea quae occasione oblata passim iam attulimus — mirum in modum cum sermone Xenophonteo congruunt.

I, 5: *θεία μοίρα*. cf. Comm. II, 3, 18 *θεία μοίρα*, h. gr. VII, 5, 12: *τὸ θεῖον*.

I, 6: *ὄσω γὰρ ἂν τινες πλείω ἀπέχωσιν*. Recte G. Saupprius in lexil. Xen. p. 130 rarum esse animadvertit in huiusmodi generalibus sententiis pluralis *τινῆς* usum; in nostro quidem libello invenitur etiam IV, 41. V, 2. Ex ceteris autem Xenophontis scriptis Saupprius enotavit exempla haec: h. gr. I, 7, 6. IV, 8, 4. VI, 4, 27. VII, 5, 3. Comm. III, 10, 4. Adde Anab. VII, 7, 24. Cyr. IV, 2, 32. Hipp. VIII, 10.

II, 1 atque IV, 6 et 40 anacolutha quaedam extant, ita ut tria huius figurae exempla in breviuscula hac commentatione praesto sint. Hic autem usus quin plane cum Xenophonteo congruat, nemo dubitabit, si vel quinque et triginta illa quae Saupprius l. c. p. 19 collegit exempla computaverit, quibus facile etiam multo plura adici possint.

Tum anaphorae quoque in libello de rediv. saepius inveniuntur, id quod etiam Hagenius (l. c. p. 161) vidit; documento sint loci II, 2: *εἰ ἀφέλοιμεν μὲν ὅσα . . . ἀφέλοιμεν δὲ καὶ* cet. III, 7: *ὡς πολλὰ μὲν εἰσήνεγκεν ἢ πόλις . . . πολλὰ δέ* cet.; IV, 11: *ὅπως θαρροῦντες μὲν . . . θαρροῦντες δέ* cet.; 22: *ὅτι πολλοὶ μὲν . . . πολλοὶ δέ* cet. Sed huius figurae usus, id quod oblitus videtur Hagenius esse, Xenophonti praeter ceteros proprius est. cf. h. gr. II, 3, 55: *εἶλκε μὲν ὁ Σάτυρος, εἶλκον δὲ οἱ ὑπηρέται*, V, 1, 35: *διελύθη μὲν τὰ πεζικά, διελύθη δὲ καὶ τὰ ναυτικά στρατεύματα*, Hipp. VIII, 24: *ταχὺ*

μὲν διώκων . . . ταχὺ δὲ ἀποχωρῶν. Plura exempla ex largissima materie collegit Sauppium l. c. p. 19, qui locos supra citatos rhetorici quicquam habere (id quod contenderat Hagenius) recte negat. Ubi enim rhetorice usurpatur haec figura, „desse solent μὲν-δὲ particulae.“

III, 7: οὐ μέντοι δύσελπίς εἰμι τὸ μὴ οὐχὶ προθύμως ἂν τοὺς πολίτας εἰς τὰ τοιαῦτα εἰσφέρειν. Similis structura extat h. gr. III, 3, 6: οὐδένα δύνασθαι κρύπτειν τὸ μὴ οὐχ ἠδέως ἂν καὶ ὤμων ἐσθίειν αὐτῶν; Anab. III, 1, 13: τί ἐμποδῶν μὴ οὐχὶ πάντα . . . τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας ἀποθανεῖν. Cyrop. VII, 5, 42: τοῖς μὲν θεοῖς οὐδὲ ἂν ἔχοιμεν μέμψασθαι τὸ μὴ οὐχὶ . . . καταπεπραχέναι.

III, 3: ἄθλα προτιθέναι. cf. Cyrop. I, 6, 18. II, 1, 20. h. gr. III, 4, 16. Hipp. I, 46. Hier. IX, 6. 7. 11. (sed legitur etiam Eur. Hel. 42 et στέφανον προτ. Thuc. II, 46.)

III, 13: ἅμα τ' ἂν κόσμος εἴη cet. cf. Cyrop. II, 4, 1: ὡς . . . εὐκοσμώτατα, 5: καὶ γὰρ ἐμοὶ ἂν κόσμος ἦν τοῦτο, d. re equ. XII, 2: τοῦτο γὰρ ἅμα κόσμον τε παρῆξει.

IV, 3: ἔργον ἀπορεῖν; cf. Cyrop. IV, 5, 7: ἀπορεῖν ἔργου.

IV, 16: ἀτὰρ τί τὰ παλαιὰ δεῖ λέγειν; Particula ἀτὰρ, poetis maxime propria, in scriptorum Atticorum numero excepto Platone, poetarum imitatore, nemini usitatior quam Xenophonti est. Vel plane eadem ratione qua loc. cit. usurpatur etiam Anab. IV, 6, 14: ἀτὰρ τί ἐγὼ περὶ κλοπῆς συμβάλλομαι; VII, 7, 10: ἀτὰρ τί καὶ πρὸς ἐμὲ λέγεις ταῦτα; Comm. III, 7, 2: ἀτὰρ πρὸς τί με ταῦτ' ἐρωτᾷς; cf. etiam ibid. 6, 11.

IV, 23: γὰρ μέντοι, quod paullo alium sensum praebet atque μέντοι-γὰρ (hoc quoque Xenophonteum est; cf. Sauppium l. c. p. 83). Occurrit etiam Anab. I, 9, 14. II, 3, 9. III, 1, 27. Cyrop. III, 3, 20. VII, 5, 52.

IV, 27: εἰπεῖν ἂν ἔχοι εἰδῶς οὐδεῖς. cf. Anab. I, 6, 11: οὐδεῖς εἰδῶς ἔλεγεν.

IV, 37: ἀμαρτηθείη. Hic aoristus, quem rarum quidem at optime graecum esse Kruegerus (stud. hist. phil. II p. 34) exposuit, extat etiam Anab. V, 8, 20.

IV, 42: μηδὲν (?) μέντοι φοβεῖσθε ὡς . . . παραλυπήσει. Eadem post timendi verba structura extat Cyrop. V, 2, 12:

μη φοβοῦ ὡς ἀπορήσεις. *ibid.* VI, 2, 30: μη δείσητε ὡς ουχ ἠδέως καθευδήσεται. Qua in re animadvertendum est hanc structuram tum eligi, ubi sententia antecedit prohibitiva, nimirum ne, cum vox quae est μή iam semel usurpata sit, repetita illa nimia dicendi similitudo atque adeo cacophonia eveniat.

IV, 50: οἱ γε χῶροι περὶ τὸ ἄστν. *cf.* Oec. V, 4: ἐν τῷ χώρῳ καὶ ἐν τῷ ἄστει.

VI, 3: σὺν τῷ θεῷ. *cf.* *Cyrop.* II, 4, 14: σὺν τοῖς θεοῖς. *Hipp.* V, 14: σὺν τῷ θεῷ. VI, 1. VII, 3. 14: σὺν θεῷ. IX, 3: σὺν τοῖς θεοῖς. 8: σὺν θεῷ.

Denique cavendum est ne in eo offendamus, quod in libello de red. vocabula quaedam haud pauca leguntur, quae in ceteris Xenophontis libris nusquam inveniamus. Etenim παροικεῖν (I, 5) aliis locis Xenophonteis confirmari non posse iam supra vidimus; item οἰκουμένη (I, 6) apud oratores quidem eiusdem vel paullo inferioris aetatis haud raro deprehendimus (*cf.* *Dem.* d. cor. 48. d. f. leg. 180. *Heges.* d. Halon. 35. *Hyperid.* epit. IV, 1. IX, 5. *Dinarch.* I, 13), nusquam apud Xenophontem; similia sunt τόρνος (*ibid.*), οἰκόπεδον (II, 6), alia multa, quae colligere absque omni utilitate est. Nil enim talibus vocibus congregandis demonstratur. Etenim nullus omnino est liber Xenophonteus, in quo eiusmodi ἅπαξ εἰρημένα non largissime inveniantur (*cf.* G. Sauppium, *Xen. opp.* V, p. 298).

His expositis apte de Hagenii coniectura hoc loco pergitur disputare, qui, ut diximus, hunc nostrum libellum pro oratione vel potius pro commentatione ex duabus orationibus consuta habet. Ac primum quidem id prorsus reiciendum est, quod duas huic libello orationes (alteram ab I, 1 usque ad IV, 33 statuens, alteram inde usque ad finem) subiectas esse dicit. Ad quod demonstrandum quae in utraque parte ut sibi repugnantia enumeravit, infra refutanda erunt: nunc id quidem contendimus, in libelli sermone, i. e. in singulis vocibus, structuris, figuris, in tota denique disputandi ratione ne minimum quidem duplicis originis vestigium extare. — Nec illud, quod excidisse alterius orationis initium demonstrare volt eo, quia in *etym. magn.* p. 583 vox ὀφειλή (nullis me

hercle nisi inferioris graecitatis scriptoribus propria) quasi extans in Xenoph. d. rediv. libello citatur, quae tamen nunc non legitur, recte se habere praeclare exponit Dindorfius (praeef. ad edit. Oxon. p. IX), qui illud *εὐρίσκειται δὲ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν τοῖς περὶ πόρων* novitii magistri additamentum esse docet vocem *ὄφειλή* cum ea, quae extat IV, 35, *ὄφελος* confundentis.

Quocontra permulta in altera, quam statuit Hagenius, parte inveniuntur, quae re, interdum vel ipsis verbis ad prioris partis locos quosdam referri debent. Quo in numero haec potissimum nominanda sunt: IV, 35 verba *ὀπόσα ἂν οἰκοδομηθῆ ἢ ναυπηγηθῆ ἢ ἀνδράποδα ἀνηθῆ* respiciunt ad III, 12: *καλὸν μὲν κάγαθὸν ναυκλήροις οἰκοδομεῖν* cet. et IV, 17: *εἰ . . ἡ πόλις κτῶτο δημόσια ἀνδράποδα*, 19: *ἐπειδὴν δὲ ἀνηθῆ* cet.; deinde IV, 49: *ἡ ἀπὸ τῶν ἀνδραπόδων εἰσφορὰ* [lege *ἀποφορὰ*!] pertinent ad IV, 23 sqq., ubi reditus a servorum publicorum locatione redundaturi exponuntur; item ibid. 49: *πολυανθρωπίας . . ἀθροίζομένης* ad supra disputata respiciunt. Porro IV, 51: *πραχθέντων γε μὴν ἂν εἴρηκα* ad ea quae in cap. IV usque ad §. 34 commendata erant redeunt: inde ab hac enim §. non iam quae facienda sint auctor exponit, sed refutat, quae quis obicere possit. Denique VI, 1, ubi omnia, quae antea disputata sunt, denuo complectitur, luculenter auctor ad ea quoque respicit, quae usque ad IV, 33 commendavit. Comparanda autem imprimis sunt verba *προσφιλέστεροι τοῖς Ἑλλησι γενησόμεθα* cum III, 4: *ταῦτα γὰρ τιμώμενοι οὐ μόνον τοῦ κέρδους ἀλλὰ καὶ τῆς τιμῆς ἔνεκεν ὡς πρὸς φίλους ἐπισπεύδοιεν ἂν*, item *εἰ . . . ἀδύνατον μὲν μηδὲν ἔστι* cum III, 18: *εἰ δὲ δυνατὰ λέγομεν . . ὁ βουλόμενος κρινέτω*, porro *εἰ . . . ὁ δῆμος τροφῆς εὐπορήσει* cum III, 33: *καὶ ἐμοὶ μὲν δὴ εἴρηται ὡς ἂν ἡγοῦμαι κατασκευασθείσης τῆς πόλεως ἱκανὴν ἂν πᾶσιν Ἀθηναίοις τροφὴν ἀπὸ κοινοῦ γενέσθαι*. Haec vero omnia qui scripserit non ad orationem ab alio quodam antea habitam sed ad sua ipsius verba respicere apparet ex IV, 51: *πραχθέντων γε μὴν ἂν εἴρηκα*.

Ceterum ut IV, 33 potissimum Hagenius utriusque orationis commissuram esse statueret, motus est verbis *καὶ ἐμοὶ μὲν δὴ εἴρηται* cet., quibus tamen nil aliud indicatur nisi primaria totius libelli parte, quae est de singulis redivibus augen-

dis, absoluta iam transiri ad describendum rei publicae statum, qui, si perpetrari consilia illa populus vellet, subesse deberet. Illud autem *ἐμοὶ μὲν δὴ*, quo Hagenius peroraturi alicuius orationem praemonstrari putat, simplicissime explicatur, si eorum, qui §. 34 sqq. verbis *εἰ δέ τινες* inducuntur, obiectionibus cum pondere quodam opponi existimamus; cf. Cyrop. VI, 2, 39: *ἐγὼ μὲν δὴ ταῦτα προαγορεύω· εἰ δέ τις τι καὶ ἄλλο* cet.

Deinde quae Hagenius ad oratorium libelli colorem illustrandum attulit, mihi quidem non persuasit. Etenim quod anaphoris et anacoluthis refertum libellum esse dicit, plane consentio; non consentio quod vim in iis inesse rhetoricam contendit. Qua de re supra satis dictum puto. Ceterum quo iure in anacoluthorum numero etiam IV, 22 ille collocaverit parum intellego. Neque minus inane mihi videtur, quod idem propter frequentiore alterius pluralis personae usum, propter dicendi verba ab auctore saepe in discernendis partibus singulis adhibita (velut *λέγω, εἶπον, μέλλω λέγειν, εἴρηκα, εἴρηται, ἀντιλέγω*), tum propter obiectionis formulas (*ἔχοιεν εἰπεῖν, εἴ τις φήσειε, φαίη ἂν τις, εἰ δέ τις με ἐπερωτῶι*), denique propter deliberationis verba (*ἔχω συμβουλεύειν, εἰ ταῦτα δόξειεν, τότ' ἂν οὖν φαίην, ὁ βουλόμενος κρινέτω*) necessario de oratione vere habita cogitandum esse censet. Unde si re vera orationem subesse pateret, vel id facile contendere aliquis posset, Xenophontem, qui tot tamque praeclaras in Anab., Hist. gr., Cyrop. orationes composuerit, hic quoque ad orationis genus in conscribenda hac commentatione propius accessisse, eum fere in modum, ut Isocrates quae de rebus publicis sentiebat forma oratoria obferre civibus solitus sit. Sed ne hoc quidem suspicari cogimur, si illis, quos Hagenius collegit, locis hosce ex Hipparchico depromptos opponimus; I, 9: *τοῦτο πειράσομαι λέγειν*, 16: *φημί* et *ἄ λέγω*, II, 2: *φημί*, III, 1: *νῦν αὐτὰ λέξω*, 9: *εἴρηται*, 12: *ὥσπερ εἰώθατε*, 14: *ἔγω τάδε παραινέσαι*, IV, 16: *εἴρηται*, V, 4: *προστάττειν δοκῶ*, 14: *ἐγὼ ... συμβουλεύω*, VII, 7: *ἂν τις ποιῶν ὀρθῶς βουλεύοιτο*, VIII, 11: *φημί*, 16: *καὶ οὐ λέγω*, IX, 3: *φημί*, 9: *συμβουλεύειν*. Ex libello autem de Laced. republ., qui, cuius auctori est assignandus, oratio certissime non est (cf. XII,

7: ὅτι δὲ πολλὰ γράφω.), huc pertinent hi loci: I, 10: ὁ βουλόμενος σκοπεῖτω, II, 8: εἴποι δ' ἄν τις· τί δῆτα cet., 12: λεκτέον δέ μοι δοκεῖ εἶναι, 14: ὁ βουλόμενος καὶ ταῦτα ἐπισκοπέσθω, V, 1: σχεδὸν εἴρηται, XI, 1: ἕξεισι καὶ τούτων ἀκούειν, XII, 1: ἐρῶ, XIV, 1: εἰ δέ τις με ἔροιο . . . τοῦτο μὰ Δί' οὐκ ἂν θρασέως εἴποιμι.

Denique quod IV, 18 auctor per numerum pluralem εἰ δὲ δυνατὰ λέγομεν dicit — id quod oratori insolitum videtur —, inde Hagenius non pro societate (ἐταιρία) quadam verba facere auctorem (alibi enim ubique numero singulari utitur), sed id potius concludere debebat, non esse orationem libellum nostrum. In commentatione enim ad legendum conscripta usitatissimus hic numerus est; cf. Anab. I, 7, 7. Cyrop. I, 1, 1. d. re equ. I, 1, 4. II, 1. III, 1. V, 1. VI, 1. VII, 1 alia.

Sed haec quidem hactenus. Satis enim mihi videor ostendisse huius libelli et sermonem et argumentandi rationem optime cum Xenophontis, qualem ex ceteris eius libris cognitam habemus, consuetudine convenire. Iam ad tertium illud, quod propositum est, adgrediamur quidque de auctoritate ac fide eorum, quae hoc libello commendantur Atheniensibus, sit iudicandum brevi exponamus.

Cap. III.

Auctor libelli nostri id potissimum propositum habet, ut qua ratione reditus Atheniensium satis exhausti augeri possint doceat. Qua in re postquam quasi praefandi gratia de terrae atticae natura in universum nonnulla disputavit, quatuor adfert rationes, quibus usi Athenienses reditus ampliores exigere possint: primum suadet, ut inquilinorum et condicionem meliorem et numerum maiorem reddant; deinde ut mercaturam navigiumque, quantum possint, adiuvent atque sublevent; tum ut ad argentifodinarum cultum diligentius quam antea intenti sint; denique, ut pacem et ipsi observent et ceteris civitatibus quam maxime commendent. Quae si recte suasa esse intellexerint, Delphos mittere iubet qui quonammodo haec optime possint perpetrari Pythiam consulant.

Haec consilia perlustrantibus duae res multis satis mirae

visae sunt: scilicet quod nec agriculturae, quam semper scimus vel maxime laudabilem Xenophonti habitam esse, mentio in libello ulla fit (vid. Hagenium l. c. p. 159 sqq.), et quod pax hic tam constanter Atheniensium populo commendatur (vid. Onckenium, Isokr. u. Ath. p. 96 sqq.). Hinc igitur fuerunt qui alienum a Xenophonte librum esse concluderent.

Atque contra priorem obiectionem monendum est, ea potissimum enarrari hoc libello, quae directe ad ipsos augendos civitatis reditus idonea sint, ea verum, quae omnino ad universi populi singulorumve civium opes atque divitias amplificandas pertineant, obiter tantum perstringi. Inquilinorum quidem cura propterea potissimum suadetur, ut *μετοίκιον* illud adaugeatur; cf. II, 1: *αὕτη γὰρ ἡ πρόσοδος τῶν καλλίστων ξμοιγε δοκεῖ εἶναι, ἐπίπερ αὐτοὺς [lege αὐτοὶ αὐτοὺς] τρέφοντες καὶ πολλὰ ὠφελοῦντες τὰς πόλεις οὐ λαμβάνουσι μισθόν, ἀλλὰ μετοίκιον προσφέρουσιν [προσεισφέρουσιν?]. 7: πάντες ἂν οἱ ἀπόλιδες τῆς Ἀθήνησι μετοικίας ὀρέγοντο καὶ τὰς πρόσόδους ἂν αὐξοίεν.* Mercaturae favere iubentur, ut, cum undique multa bona Athenas inportentur, hinc quoque quam plurimi in aerarium publicum reditus confluant; cf. III, 6: *εἰς μὲν οὖν τὰς τοιαύτας αὐξήσεις τῶν πρόσόδων* cet.; 13: *ἅμα τ' ἂν κόσμος εἴη τῇ πόλει καὶ πολλὰ ἀπὸ τούτων πρόσοδοι γίνονται.* Eandem ob causam auctor suadet, ut naves onerariae ad locandum publicae aedificentur; cf. ibid. 14: *πολλὴ ἂν καὶ ἀπὸ τούτων πρόσοδος γίνονται.* Ubi autem de metallis deque servis et emendis et locandis verba facit, non tam de civium singulorum eum divitiis augendis cogitavisse quam de publico replendo aerario ipsius diserte verbis indicatur his: IV, 14: *τῆς μέντοι πόλεως πάνν ἄξιον θαυμάσαι τὸ αἰσθομένην πολλοὺς πλουτιζομένους ἐξ αὐτῆς ιδιώτας μὴ μιμεῖσθαι τούτους.* Quamquam igitur haec omnia non minus civibus tandem singulis profutura erant quam toti civitati, proprie quidem ac directe ea tantum proferri concedendum est, quae ad ipsos publicos cuiusvis generis reditus adaugendos pertineant. Hoc autem in numero agricultura habenda non est, praesertim cum agros publicos urbs non ipsa coleret, sed certis quibusdam hominibus locare soleret (cf. de red. IV, 19. Boeck, oec. p. Ath. I²,

p. 414 sqq. Paulo aliter se habet locus Hier. IX, '8, ubi, postquam de adiuvanda agricultura Simonides exposuit, sic pergit: *καὶ γὰρ αἱ πρόσοδοι αὖξουσ' ἂν καὶ ἡ σωφροσύνη* cet. Hic enim de populi divitiis augendis moribusque corrigendis, non de sublevando aerario publico agitur.) — Adde quod terra attica exceptis perpauca regionibus hercle non ea est, qua colenda multum ad augendas opes publicas conferri posse videatur (cf. Thuc. I, 2, 5. Herod. IV, 99. Dem. in Andr. 31. Plut. Sol. 22. d. rediv. I, 5; etiam Comm. III, 6, 13 de frumento attico parum largo agitur), et dubito equidem, num ipse Xenophon quae de agricultura exposuit, velut in Oecon., ita ut fecit scripturus fuerit, si Athenis, non Scillunte in praedio suo scripsisset (cf. Nitsche, l. c. p. 54). In prooemio autem libelli nostri memorabile est auctorem, ubi de terrae atticae natura exponit, cum levitate quadam agriculturam praeterire. Nam cum in animo haberet laudare patriae terrae indolem, cum generali quadam laude anni aetates, quales in Attica sint, perstringit rarioresque arbores quasdam, quae alibi ne proveniant quidem, hic fructus ferre dicit (id quod de ficis oleisque intellegendum est); tum quam citissime potest ad aliam rem, nempe ad metallorum latumiarumque fertilitatem celebrandam, transit. Videmus igitur agriculturam voluisse quam minimam rationem habere, ita ut in angustiis quasi quibusdam teneretur: aut enim fatendum erat agriculturam Atheniensibus ad augendas opes haud multum prodesse aut prorsus silendum erat. Quorum quoniam neutrum ad ipsius consilium aptum videbatur, quasi media electa via generali quadam laude rem quam brevissime absolvit. Utique certis quibusdam caussis, non aut negligentia aut adeo fastidio quodam ductum auctorem agriculturam rationem non habuisse, vel e loco IV, 5 apparet, ubi aptissimam aliquam ex re agraria imaginem adfert. Quo tamen ex loco quod Hagenius illum agriculturam metallorum cultui postposuisse concludit et miratur, quod idem IV, 6 cum banausis quae vocantur artibus agriculturam contulerit, paene ridiculum mihi videtur esse. Cum *ναυκληρία* quidem agricultura etiam Hipp. IX, 2 componitur; IV, 5 autem nil dictum est nisi in agricultura quot

umenta sat essent definiri posse, non posse in metallis quantus opificum numerus suppeditaret.

Alterum vero illud, quod indignum fuerunt qui Xenophonte, homine scilicet rei militaris peritissimo, esse putarent tanto cum studio pacem civibus suadere, mihi quidem iniustissime in disputationem vocari videtur. Certe fuit rei militaris peritissimus, certe vel adamaverat quodammodo rei militaris scientiam, id quod ipse luculentissime Oecon. sui cap. IV testatur: sed aliud est scientiam aliquam studio atque amore complecti, aliud certo quodam tempore et in certo aliquo rerum publicarum statu de summa civitatis salute suadere. Accedit quod Xenophon, cum scriberet hunc libellum (ponimus enim scripsisse), senex, si verum Macroborum auctor tradidit, XC fere annorum, certissime autem senex fuit, qui paene per saeculi spatium tot tantisque bellis patriam dilacerari doluerat. Hercle non iam erat „asper ille atque multivagus bellator“ (ein derber, abenteuernder krieger, p. 97), qualis Onckenio videtur. Quid igitur mirum, quod pacis commoda illustrabat pacemque omnibus civitatibus graecis contingere volebat is, qui quantam ἀκρισίαν καὶ ταραχὴν (h. gr. VII, 5, 27. d. red. V, 8) bella perpetua Graeciae attulissent nemine secius perspexerat? Utrum recte pacem suaserit nec ne, an fieri omnino potuerit, ut tum pax servaretur, id quidem nil ad rem: sed Xenophontem saltem belli tunc minime iam studiosum fuisse, id mihi consentaneum esse videtur. (Memorabilis est locus Hier. II, 7: ἀντίκα γὰρ εἰ μὲν εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις εἶναι — i. e. δοκεῖ δὲ τῷ ὄντι — ταύτης ἐλάχιστον τοῖς τυράννοις μέτεσθιν· εἰ δὲ πόλεμος μέγα κακόν, τούτου πλεῖστον μέρος οἱ τύραννοι μετέχουσι). Haec igitur immerito a quibusdam obiectantur.

At contra inveniuntur nonnulla quae vel maxime cum Xenophontis quales cognitos habemus moribus ac de re publica sentiis concordare videntur. Huius rei quatuor potissimum documenta extant. Primum enim quod noster II, 5 suadet Atheniensibus, ut inquilinos equitatus compotes faciant, idem in Hipparch. IX, 3 sqq. commendatur. Hoc si fecissent cum equitatum ipsum validiorem, tum inquilinos sibi benevolentiores reddituros esse confidit. — Deinde eum, qui locum V, 9 con-

scripserit, infestum fuisse Thebanis, Phocensibus faventem supra exposuimus. Quod utrumque optime ad Xenophontem referri potest: a Thebanis enim eum abalienatum fuisse, tota fere testis est hist. eius graeca (inprimis VII, 1, 34. cf. Comm. III, 5, 2 sqq. Nitsche l. c. p. 14); Phocensibus verum vel ut Boeotorum hostibus, Lacedaemoniorum (h. gr. IV, 3, 5. VI, 1, 1) atque Atheniensium (ibid. VI, 3, 1) sociis perpetuis favisse consentaneum est. — Tum quod auctor noster de liberando templo delphico cogitat, quod consiliorum suorum effectum deorum arbitrio subicit, quod denique ipsum Apollinem Delphicum de hac re ait consulendum esse, haec omnia cum Xenophontis indole ac moribus optime consentiunt. Quam enim Xenophon frequens deorum cultor, quam ad religionem deditus fuerit, supersedeo ex scriptis eius fusius illustrare (cf. tamen Comm. I, 1, 7. Cyrop. I, 6, 2. Hipp. IX, 9): hoc unum moneo, qui ipse de re aliqua gravissima oraculum delphicum adierit (Anab. V, 3, 5) quique per totam vitam eiusdem oraculi sanctitatem colere non desierit, mirum non esse si civibus quoque suaserit, ut de summa salute sua eundem deum consulerent.

Denique locus III, 7, ubi cur Lysistrati Hegesilaique mentio fieret iam Bakius dubitabat, nescio an melius intellegatur, si Xenophontem auctorem esse statuamus. Etenim de tempore, ad quod referendae Lysistrati et Hegesilai illae expeditiones sunt, ipse Xenophon in extrema extremi operis sui historici parte accurate exposuerat; quin etiam ipsum filium eius Gryllum seimus in proelio equestri, quod duce Hegesilao, hipparcho Cephisodoro apud Mantineam commissum est, fortissime pugnantem occidisse (cf. Diog. Laert. II, 10, 55. Paus. VIII, 11, 4. Harpocr. s. v. *Κηφισόδωρος*). Quid igitur mirum quod illa potissimum expeditio pugnaque illa, cum exemplis sententiam suam illustrare vellet, ei in mentem venit? Certe alia adferre poterat: sed fieri solet, ut, si cui multae eiusdem momenti ac pretii res ad eligendum obferantur, id ipsum eligat, quod animo suo gratissimum sit. — Accedit quod Hegesilaum verisimile esse iam diximus Eubuli fuisse propinquum illum, cuius Demosth. d. f. leg. 290 mentionem facit. (cf. A. Schaefer, Dem. III, 2, p. 11). Eorum autem quae in libello d. redit.

commendantur naturam atque indolem plane cum Eubuli consiliis publicis congruere optime Schaeferus (Philol. V et Dem. I p. 171 sqq. cf. Boeckh, l. c. p. 778 not. Hagen l. c. p. 167) exponit. Et quoniam hic idem Eubulus de Xenophontis in patriam reditu optime meritis esse perhibetur, vel id haud improbabiler iam a Schneidero est coniectum, videri Xenophontem hunc de reditionibus libellum in illius gratiam publicasse, eum fere in modum, quo Hipparchicum in hipparchi cuiusdam atticici (fortasse Cephisodori, ut volt Kruegerus l. c. II p. 282 sqq.) honorem conscripsit. Huius quidem coniecturae, fateor, obtrectator gravissimus (praeter Onckenium, Bergkium alios) Cobetus extitit (nov. lect. p. 756 sqq.), qui tamen hac in re iusto mihi videtur cautior atque haesitantior esse. Nam cum Diogenes Laertius, ubi teste Istro Xenophontem narrat ex Eubuli sententia in patriam revocatum esse, simul exilio quoque eum eodem auctore multatum esse dicat, omnino falso suspicatur haec ab Istro tradita esse. Neque tamen aut plane fictum hoc ab Istro esse puto aut aliunde alicunde haec fama, si nullum subesset veritatis momentum, videtur oriri potuisse; neque omnino veri simile est tam foedam temporum perversionem ipsi Istro inputandam esse, ut ab Anaphlystio illo in exilium Xenophontem missum esse narraverit. Diogenis potius hic videtur error esse, quem etiam, cum de anno Xenophontis extremo diceret, similem in modum peccasse vidimus. Qui tamen utrum male intellexerit an ipse de sua coniectura amplificaverit Istri verba, in medio relinquo; nisi forte Letronnio (cf. Dindorf. ed. Oxon. p. XLI sqq.) assentiendum est, qui revocatum esse scriptorem ab Eubulo Anaphlystio, eiectionem ab alio quodam eiusdem nominis coniecit, nimirum eo, qui Ol. 96, 3 archon fuit (Diod. XI, 85. Lys. XIX, 28). — Quod autem eo Cobetus notitiam illam ab Istro traditam debilitare tentavit, quod non tantum interfuisse aut Atheniensium populi aut ipsius Eubuli ait revocari Xenophontem, ut ipse orator celeberrimus de reditu eius rogationem ferret, parum intellexisse mihi videtur vir doctissimus notitiae illius vim ac naturam. Nam si vera tradidisse Istrum facimus, inde minime sequitur, ut Xenophontem eiusque sortem multum curaverint Athenienses; ne id quidem sequitur,

ut iam tum fuisse Eubulum potentia credamus ea, qua fuit fere ab Ol. 103 in Atheniensium republica. Etenim si omnino revocatus est Xenophon (id quod certum videtur), ex unius alicuius civis sententia necesse est eum revocatum esse. Cur igitur Eubuli sententia ac rogatu hoc fieri non potuerit, dummodo inter Xenophontem et Eubulum necessitudinem quandam — quae qualis fuerit nec scimus nec refert suspicari — intercessisse putemus, equidem non video. Fac igitur nec Eubulum iam tum redituum publicorum praesidium tenuisse nec Atheniensibus ipsis maiori curae Xenophontis salutem fuisse: tamen, si Eubulus caussa quadam privata ac propria motus populum de revocando Xenophonte rogaverat, cur Athenienses refragarentur caussa tum certe nulla suberat, praesertim cum ipsi eo tempore societatem cum Lacedaemoniis iniissent, propter quorum favorem antea eiectus fuerat. — Nec ea, quibus deinde Schneideri coniecturam Cobetus inpugnat, recte mihi videntur disputata esse. Subrisurum fuisse Eubulum ait „ad magnificentissimas candidi senis pollicitationes“, neque esse eiusmodi eius consilia, quae Eubulum de administranda re publica informare potuisse videantur. Verum enimvero non ita intellegendum est, quod in Eubuli gratiam scripsisse hunc libellum dicitur, quasi eum quid sit faciendum edocere voluerit, sed ut publice consilia eius adiuveret et cives quam plurimos tali ut ingrederentur via permoveret. Non enim ad unum aliquem hominem sed ad cives omnes informandos pertinere libellum vel inde evincitur, quod altera saepissime pluralis persona Athenienses appellantur.

At id quidem libenter Cobeto concesserim magnificentiores esse pollicitationes istas quam veriores. Etenim quam vanae essent spes istae, ad quas Atheniensium animos erigere studet, quemadmodum consilia eius maxima ex parte, etiamsi utilia essent, aut perpetrari omnino non possent, aut, si possent, Atheniensium voluntatibus ac de re publica sententiis repugnant, optime olim Boeckhius in *relatt. Acad. Boruss.* 1815 p. 85 sqq. et 138 sqq. exposuit (cf. etiam *Oec. publ.* I² p. 781 sqq.). De argentifodinis quidem quam inanem opinionem induxerit, optime tempus posterum testatur (*Strab.* p. 399); quae autem

praeterea commendavit, plurima non minus inutilia esse documento est luculentissimo, quod consiliorum eius nullum Atheniensium populus ne tentavit quidem ad effectum perducere. Hoc igitur concedendum est; minime concedendum, quod nonnulli inde concluderunt, velut Bergkii et Onckenii, propterea Xenophontis esse hunc libellum non posse. Atque Onckenius quidem (l. c. p. 96) ex hoc libello mercatorum Atheniensium voces audire sibi videtur de imminentibus belli periculis lamentantium, et negotiatore aliquo librum putat digniorem esse quam Xenophonte. At mihi quidem quis mercator utiliora videtur atque efficaciora suasurus fuisse quam quae in nostro libello proferuntur; neque dubium esse potest, quin, qui illa conscripserit, cum magna quidem diligentia et industria, cum benevolentia erga cives summa, denique non sine peritia quadam de rei publicae statu cogitaverit quaeque invenire potuerit remedia collegerit, id tamen unum oblitus sit, non omnia quae in cognitione ac doctrina viderentur optima, etiam in vita civili et in ipsa re publica utilia esse. Videtur igitur libellus de reid. non tam mercatore quam homine litterato ac docto, rerum tamen publicarum non prorsus imperito, vel, ut breviter dicamus, videtur ipso Xenophonte dignus esse. Cuius iudicandi rationem, qualis in Hist. gr. extat, si cum ea, quae huic libello propria est, comparamus, facile hunc quoque Xenophontis indolem respicere cognoscimus. Eadem est argumentandi tarditas, quae, veri rerum status ratione vix habita, quae semel in animum induxerit, efficere possint non spectato firmiter ac pertinaciter amplectitur; eadem est iudicii mediocritas, quam etiam in philosophia et in scribenda rerum gestarum memoria Xenophonti adhaerere videmus, quae ad minores quidem res atque usitatiores diudicandas plane suppetit, ad universalem vero quandam rerum cognitionem idonea non est; eadem denique est pietas paene superstitiosa, qua, quantum desideratur sapientiae vere historicae ac politicae, supplere quodammodo studet.

Ceterum non omnia quae in libello proferuntur vana existimanda sunt. Ea enim, quae ad rem militarem pertinent, nimirum quae de argentifodinis et communiendis et defendendis

IV, 43 sqq. proponuntur, plane acute videntur esse disputata. Munimentis enim Anaphlysti et Thorici extractis ab hostium dicit impetu satis defendi metalla posse, praesertim si etiam Besae, in montis Laurii cacumine, castellum aedificetur, quo omnes sese opifices recipere possint. Praeterea Athenarum urbem cum exercitu praetereuntes ad metalla usque procedere, quamquam possit fieri, perdifficile saltem hostibus futurum esse recte contendit; quod si tamen prospere cedat, ne occupationem quidem metallorum multum iis profuturam esse. Quae omnia ita exposita sunt, ut refelli non posse videantur. Nam si quis id obiciat, extremo bello Peloponnesiaco propter Deceleae occupationem deminutos esse metallorum reditus (Thuc. VI, 91, 7. d. red. IV, 25. Boeckh l. c. p. 91), is monendus est tum nondum munitos fuisse argentifodinarum aditus. Ex hist. gr. II, 1, 1 enim conpertum habemus Ol. 93, 1 demum Thorici munimenta extracta esse, id quod, ni fallor, propter ipsas illas Lacedaemoniorum excursiones factum esse e loco Thuc. VIII, 4 concludi potest. Namque ut id, propter quod non minime Deceleam illi occupaverant, nempe ut Atheniensium sociorumque communicationem intercluderent (Thuc. VI, 91, 7), Athenienses Sunio communiendo prohibuisse narrantur (Thuc. VIII, 4), ita, quoniam illud quoque Deceleam occupantes in animo habuissent Lacedaemonii perhibentur, ut metallorum aditus Atheniensibus ocluderent, ad hoc inpediendum is de quo Xenophon l. c. loquitur Thorici *ἐπιχειρισμὸς* videtur referendus esse.

Onckenii quidem supra mentionem fecimus, qui abiudicandum a Xenophonte d. redit. libellum esse primum se perspexisse praedicat. Qui ut quantum distarent huius libelli consilia a Xenophontis indole demonstraret, totius fere cap. V. materiem paraphrasi lectori proposuit summamque eius hanc fere esse dicit (l. c. p. 98), Athenienses reiecto principatu quasi unam ex civitatibus secundariis beate vivere fruique divitiis suis posse (Athen kann ohne hegemonie als kleinstaat glücklich und im überfluss des reichthums leben), et paullo post suaderi populo contendit, ut omnium civitatum graccarum societatem instituat, non ut ipsi bellum gerant, sed legationibus per totam Graeciam negotientur (nicht um mit gewaffneter hand den niederzuschlagen,

der den frieden zuerst bricht — *μη̄ συμπολεμοῦντες* —, sondern zur diplomatischen vermittlung — *πρεσβεύοντες* —.); eam autem societatem non tam ad rem publicam confirmandam quam ad quaestum quam maximum faciendum spectare. Qua in re mihi quidem verum auctoris non solum consilium, sed ne ipsa quidem eius verba satis intellexisse Onckenius videtur. Non enim Graecorum principatum tenere Athenienses vetantur (immo iubentur potius), sed bello tantum recuperare. Scilicet nec reditus publicos, qui tum ob bellum proximum admodum diminuti essent, nisi pace refici posse (V, 1), et socios, qui tunc esset rerum status, multo facilius beneficiis quam vi et armis reconciliatum iri (V, 5 sqq.). Deinde quod suasisse Onckenius auctorem dicit, ut Athenienses „commercii quaestusque communione“ (netz der geldinteressen) omnes civitates graecas sibi adstringerent, ingeniosius videtur quam verius disputasse. In libello quidem quae quis merito hunc in modum interpretetur omnino non inveniuntur. Denique illud *μη̄ συμπολεμοῦντες* et *πρεσβεύοντες* quemadmodum ad societatem illam referri possit, quam cum ceteris civitatibus inire Athenienses V, 8 iubentur, equidem non video; dictum enim esse de solo bello Phocensi (cf. *συμπολεμοῦντες*) nemini, modo libero animo nec praeoccupatus opinione aliqua locum V, 9 perlegat, obscurum esse potest.

Haec igitur omnia, quae in libello de re dit. proponuntur, cur ad Xenophontem auctorem referri nequeant, caussa nulla subest. Nam si cui id fortasse mirum videatur, quod cum maiore rerum Atheniensium redituumque publicorum scientia conscriptus libellus sit, quam quae Xenophonti attribui possit, quippe qui per decennia multa exul a patria afuerit, is Socratis eum meminerit discipulum fuisse, quem nil constat antiquius habuisse quam ut ad rerum civilium rationem condicionemque redituum publicorum cognoscendam iuvenes Athenienses adduceret (cf. Comm. III, 5, 5 sqq.: *δοκεῖ δέ μοι ἀνδρὶ ἀγαθῷ ἄρχοντι νῦν εὐαρεστοτέρως διακεῖσθαι ἢ πόλις* cet.; 6: *τεκμαίροιο δ' ἂν τοῦτο καὶ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ναυσὶ* cet.; ibid. 6, 5 sqq.: *οὐκοῦν πλουσιωτέρα γ' ἂν εἴη* — c. *ἡ πόλις* — *προσόδων αὐτῇ πλειόνων γιγνομένων* cet.; 12 etiam de argentifodinarum natura dicit hominem rei publicae studiosum debere informatum

esse*). Optime de hac re Onckenius l. c. p. 9 exponit.) Itaque, quoniam plus triginta annos Xenophon Athenis videtur degisse, priusquam relicta patria ad Cyrum se conferret, dubium non est, quin et otio et occasione ad perdiscendas Atheniensium rei publicae rationes abundaverit. Re vera autem talibus studiis vacavisse eum deque his similibusque institutis cogitavisse, e locis nonnullis apparet, ubi similes quaedam de his rebus cogitationes proferuntur. Huc refero Hier. IX, 9: *εἰ δὲ καὶ ἐμπόρια ὠφελῆι τι πόλιν, τιμώμενος ἂν ὁ πλείστα τοῦτο ποιῶν καὶ ἐμπόρους ἂν πλείους ἀγείροι. εἰ δὲ φανερόν γένοιτο, ὅτι καὶ ὁ πρόσδοδόν τινα ἄλυπον ἐξευρίσκων τῇ πόλει τιμήσεται, οὐδ' αὐτῇ ἂν ἡ σκέψις ἀργοῖτο* (cf. Cyrop. VI, 2, 38); *ibid.* II, 7 (quem locum iam supra laudavimus) de pacis commodis, belli incommodis, quippe quae in tyrannum potissimum cadant; similia Xenophon hist. gr. V, 2, 12 sqq. Cligenem Acanthium loquentem, Cyrop. VIII, 1, 9 sqq. Cyrum administrantem facit; Comm. II, 5, 2 narratur: *Νικίας δὲ ὁ Νικηράτου λέγεται ἐπιστάτην εἰς τὰργυρεῖα πριάσθαι τάλαντου*, quod comparare licet cum d. red. IV, 14: *ὅτι Νικίας ποτὲ ὁ Νικηράτου* cet.; porro Hipp. IV, 7: *πᾶσαι γὰρ αἱ πόλεις τοὺς εἰσάγοντάς τι ἀεὶ ὡς εὐμενεῖς δέχονται* et IX, 3 de equitibus ex inquilinorum numero complendis. Denique ut d. red. III, 3, sic alibi saepe Xenophon suadet, ut ad rem publicam melius administrandam praemiis propositis (*ἄθλα προτιθέναι*) similtas quaedam laudabilis efficiatur; cf. Hier. IX, 6. 7. 11. Hipp. I, 26.

Athenis num hunc libellum conscripserit Xenophon, non satis liquet. Kruegerus quidem (l. c. II p. 284) ex frequentiore Atheniensium per alteram pluralis personam adlocutione non fuisse tum in patria concludit. Nec in ipso libello, quamquam accuratam rerum Atheniensium peritiam fuisse auctori patet, inest quicquam, quod non aut tum, cum Athenis degebat, scilicet ante Ol. 94, 4, aut postea, cum Corinthi habitabat, ex

*) hoc loco quod de deminutis argentifodinarum redditibus mentio fit, hoc minime (ut putat Hagenius l. c. p. 160) repugnat cum nostri libelli cap. IV. Ille enim cum Glaucone dialogus habitus fingitur durante bello Deceleensi; qua quidem tempestate vel aliunde conpertum habemus reditus illos deminutos fuisse. (cf. quae supra p. 40 sq. disputavimus.)

commercio vel litterario vel amicali scire Xenophon potuerit. Quae enim ad praesentis temporis instituta vel mores spectant (II, 3. 6. IV, 4. 16. 25. 26. 28. alia), ita in universum omnia sunt exposita, ut is quoque, qui tum non Athenis, sed in urbe vicina degeret, conperta habere posset. Ceterum etiamsi nec tum in patria versatus nec mortuus ibi teste Demetrio (ap. Diog. La. II, 53) Xenophon videatur esse, tamen revocatum eum Athenas rediisse atque temporis aliquantum ibi quoque comoratum esse haud inprobabile est (item Schaefero videtur, Dem. I p. 170). Quasi Atheniensem saltem se gessisse auctorem atque Atheniensium sortis quasi societatem quandam iniisse luculenter ostendunt loci II, 5. 7. IV, 11. 13. 36. 37. 39. V, 6. VI, 1. Qua tamen ex re nec fuisse tum, cum scriberet, Athenis Xenophontem neque id, quod Hagenius volt, evincitur, eum qui hoc scripserit exulem per tot annos Athenis abesse non potuisse. Hoc vel inde apparet, quod auctor libelli de Atheniensium re publica, quem civem quidem Atheniensem, sed tum, cum scriberet, in exilio fuisse iam pridem ex ipsius verbis II, 20 viri docti concluderunt (cf. Sauppilus, Xen. opp. V p. 179), saepius eadem persona pluralis prima similiter utitur (I, 12 bis *ἐποιήσαμεν*; ibid. 10: *λαμβάνωμεν* ex coni; cf. II, 12: *ἡμῶν*.) Neque enim aliud quicquam significatur hac persona, nisi eum, qui utatur, quodammodo participem se fingere et animo societatem quandam eorum inire, quae aut fieri aut facta esse dicat; quae quidem plerumque formula quaedam videtur esse iis usitata, qui rem aliquam sibi quoque cordi esse dicant, quo facilius aliis persuadeant. —

Priusquam huius capituli finem faciamus, pauca de iis exponenda sunt, quae Hagenius (l. c. p. 163 sqq.) in duabus illis quas discernit orationibus (I, 1 — IV, 33 et IV, 34 — VI, 3) differre inter se ac dissentire dicit. Sunt autem sex utriusque partis loci, quos hunc in modum inter se comparavit; e quibus de uno iam Dindorfius (praef. ad edit. Oxon. p. XVIII) exposuit, cuius verba hic adscripsimus. Quod autem, inquit, praeter alia quae inter se pugnant p. 163 negat eundem, qui II, 2 dixisset *εἰ ἀφέλοιμεν μὲν ὅσα μὴδὲν ὠφελοῦντα τὴν πόλιν ἀτιμίας δοκεῖ*

τοῖς μετοίκοις παρέχειν, ἀφέλοιμεν δὲ καὶ τὸ συστρατεύεσθαι ὀπλίτας μετοίκους τοῖς ἀστοῖς dicere potuisse IV, 42 de eisdem πολλοὶ δ' ἂν καὶ πεζοὶ δημοσίᾳ δύναιντ' ἂν βαρεῖς εἶναι τοῖς πολεμίοις, ubi πεζοὺς dici putat ὀπλίτας, non animadvertit haec vel propter praecedentia πολλὰς μὲν γὰρ ναῦς πληροῦν ἱκανοὶ ἂν εἶεν δημοσίᾳ ad terrestres referenda esse copias optimeque congruere cum iis quae sunt II, 5: καὶ μεταδιδόντας δ' ἂν μοι δοκοῦμεν τοῖς μετοίκοις τῶν τ' ἄλλων καὶ τοῦ ἵππικοῦ cet. Quae explicatio si cui fortasse non satisfacit, vel haec velim consideret: II, 5 Athenienses cogere inquilinos vetantur expeditionis militaris relicta patria in aliam terram factae (ἀπὸ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν οἰκείων ἀπιέναι l. c.) in hoplitarum ordine participes fieri (συστρατεύεσθαι); contra IV, 42 sperat auctor illorum quoque multitudinem ad defendendam terram patriam tam in navali quam in terrestri pugna utilem fore (cf. 41: ὅτι . . . πολὺ φοβερῶτερος ὁ πόλεμος τοῖς ἐπιφέρουσιν ἢ τῇ πόλει.) — Nec secus ceteri loci, quos pugnare inter se dicit, ab eodem auctore conscripti esse possunt. Loco enim IV, 5, quem alienum esse a IV, 39 contendit, vel e toto sententiarum connexu patet cum amplificatione atque hyperbola quadam (ut solet) auctorem in confirmanda sententia sua veritatis modum excessisse. Similiter autem se habet locorum IV, 3 et IV, 39 discrepantia. Etenim IV, 3 et 5 in metallis nimium opificum numerum esse posse negaverat; 39 verum vel extremam quandam timidorum hominum obiectionem refutaturus, ne argentifodinae iusto magis compleantur hominibus si metuerent, eo facile praecaveri ait posse, si plures, quam quot satis esse existimarent, opifices non inmitterent. Discrepantia igitur hic certe non extat. Porro IV, 40 quomodo cum III, 7 non conveniret, multo etiam minus perspicere potui. Nam altero loco auctor se satis confidere (οὐ μέντοι δύσελπίς εἰμι) asseverat, populum ad commoda publice comparanda libenter (προθύμως) aliquid conlaturum esse; altero si quis propter bellum praeteritum nil iam conferri posse putet, unde exigi possint istae εἰσφοραὶ docet. Altero igitur suam de obsequenti populi voluntate sententiam indicat adlatisque exemplis confirmat, altero ad expellendum nimium hominum quorundam timorem accu-

ratius exponit, qua ratione voluntas illa ad effectum perducī possit. Tum quod IV, 23 de mille ducentis servis publice emendis mentio fit, hoc non pugnat cum IV, 35 sqq., ubi, ne simul omnia fiant, suadetur ut minor aliqui numerus primo conparetur. Illum enim MCC servorum numerum non tam certo consilio commendari, quam exemplum esse, quo usus auctor, quantum commodi atque usurae per singulos annos e servorum locatione redundaturum videatur, computet atque exponat, apparet ex sententiae conformatione hac: ἦν γε μέντοι τὸ πρῶτον συστῆ διακόσια καὶ χίλια ἀνδράποδα, εἰκὸς ἀπ' αὐτῆς τῆς προσόδου ἐν ἔτεσι πέντε ἢ ἕξ μὴ μείον . . . ἢ ἑξακισχιλίων γενέσθαι. Contra IV, 35 eos consolaturus, qui nimis multos simul coëmere servos vereantur, minime necesse esse ait, ut iam initio aut servorum tantus numerus paretur aut aedificia omnia (de quibus c. III exposuerat) una extruantur. Denique quod VI, 1 auctor consiliis ipsius perpetratis cum alia commoda eventura esse tum et sacerdotibus et senatui et magistratibus et equitibus iusta sua (τὰ πάτρια) redditum iri pollicetur, hoc quidem prorsus in universum dictum est; nec enim de senatoribus nec de magistratibus nec de sacerdotibus, excepto autem uno loco (II, 5) ne de equitibus quidem auctor antea quicquam exposuerat. Verum haec est sententia eius: enumeratis singulis civitatis partibus suum cuique contingere atque totius rei publicae statum ita optimum fore perpetratis consiliis suis confidit. Similiter quidem iam IV, 51. 52. complures civium ordines disiunxerat, his omnibus profutura consilia sua esse ratus. — Ceterum num equitibus, si, ut suadetur II, 5, inquilinorum augmento replerentur, revera iusta sua fierent, iniuria dubitabat Hagenius: neque enim Atheniensibus neque ipsi sibi propterea infamati videri poterant; alioquin Xenophon in Hipparchico, quem tamen vel ad ipsum hipparchum aliquem atticum perscripsit et in quo de equitum et salute et decore optime mereri studet, vix idem (IX, 3) de recipiendis metoecis suasisset.

Iam ad finem quaestionis pervenimus. Qua quae si minus demonstrasse, at probabilia saltem nos reddidisse speramus, ut

brevi denuo complectamur, haec de libello *Πόποι* inscripto videntur statuenda esse: scriptus est extremo Ol. 106 anno primo a Xenophonte, qui tum Athenis quidem fortasse non fuit, sed cum Atheniensibus in gratiam redierat. Scriptus videtur ad adiuvandas Eubuli rationes, quo auctore redux factus Xenophon partim in patria partim Corinthi degisse putandus est. Scriptus denique est in summa Xenophontis senectute, qua quidem re non minime istae, quibus refertus est libellus, maculae atque iniquitates explicantur.

V i t a.

Arminius Zurborg natus sum Berolini d. XXIX Jun. mens. ao. h. s. LI filius unicus patris Gerardi, quem ante hos XVI annos morte mihi ereptum esse lugeo, matris Berthae e gente Werneriana, qua etiam nunc superstite gaudeo. Fide institutus sum evangelica. IV annos natus Bleicham, in viculum Saxoniae Borussicae, cum parentibus transmigravi, ubi mox a patre, deinde in schola communi litterarum elementa prima edoctus sum. Tum, postquam per biennium ab avunculo linguae latinae graecaeque rudimenta accepi, ao. h. s. LXIV gymnasium adii Magdeburgense, quod a S. Virgine nomen duxit, perque VI annos frequentavi; cuius cum magistros omnes, tum directores Amad. Guil. Muellerum et Guil. Herbstium et praeter hos Andr. Weidnerum, nunc gymnasii Giessensis directorem, semper mihi grata piaque memoria colendos profiteor. Ao. h. s. LXX exeunte civitatem adeptus sum universitatis Georgiae Augustae Gottingensis, ubi scholas adii vv. cl. Droysenii, Hirschfeldii, Kruegeri, Leutschii, Sauppilii, Wachsmuthii. Post bis VI menses me Berolinum transtuli ibique in univers. Friderica Guilelma lectionibus interfui vv. cl. Curtii, Droysenii, Gepperti, Hauptii, Heydemanni, Huebneri, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Nitzschii, Wattenbachii, Zelleri. His vv. dd. cum omnibus, tum gratias ago Ad. Kirchhoffio, v. cl., qui me non solum societati suae graecae interesse passus est, sed etiam una cum M. Hauptio, quem nuper discipulis suis

eripuit acerba fortuna, in seminarium reg. philol. recepit, cuius per bis VI menses sodalis fui. Quibus beneficiis adiuto contigit mihi, ut, cum quaestionem de libello *Πόροι* inscripto a summo philosophorum ordine nuper propositam suscepissem, praemio urbano dignus renunciarer. Denique facere non possum, quin hoc quoque loco iis viris gratias agam, qui studia mea beneficiis stipendiisque praebendis adiuverunt, inprimis vv. dd. Fr. Hofmanno, consiliario scholarum Berol. urbano, et Guil. Herbstio, gymnasii nunc Portensis rectori.

Sententiae controversae:

1) Xen. d. rediv. III, 8 scribendum puto: *καὶ ταῦτα γενομένου τούτου μὲν ἀδήλου [ὄντος] . . . ἐκείνου δὲ δήλου.*

2) d. rep. Ath. I, 14 conicio: *συκοφαντοῦσι καὶ διώκουσι καὶ μειοῦσι.*

3) Xen. h. gr. VII, 5, 16 scribendum videtur: *ὅσον οὐ πανδημεί.*

4) Dinarch. in Dem. 6 quod legitur post *ἀποπεφασμένοις* spurium iudico *χορήμασιν.*

5) ibid. 24 alterum *φημί* inepte repetitum puto.

6) Quae rhetores antiqui de Dinarcho iudicaverunt, plane conveniunt cum orationum nobis servatarum indole.

Corrigenda.

- p. 12 v. 12 l. *Θηβαίοις* pro *Θηβαίους*
- 15 - 18 - *cum* pro *eum*
- 20 - 37 - *ἀξιόνικος* pro *ἀξιόνυκος*
- 22 - 34 - *quidem* pro *quoque*
-

Jenae, typis Friderici Frommanni.

MAR 30 1875

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 054 173 A

